DICTIONARIUM
SACRORUM RITUUM

Ex optimis quibusque, qui Sacram Liturgiam illustrarunt Auctoribus

A P. JOANNE BARTHOLOMÆO COLTI

In Insigni Ecclesia Cathedrali Pistoriensi Chori Magistro depromptum


Atque

ILLUSTRISSIM. AC REVEREND. D. D.

FRIDERICO ALAMANNI

DICATUM

PARS ALTERA.



PISTORII MDCCLXXII.

EXCUD. ATTO BRACALI EPISC. TYPOGR.

Superiorum permissu

DICTIONARII
SACRORUM RITUUM
PARS ALTERA
QUÆ RUBRICAS BREVIARII COMPLECTITUR

A B

ABſolutiones, & Benedictiones dicuntur ante Lectiones ordine a Rubrica XXV. *de Abſol. & Ben.* præſcripto juxtà Officii varietatem.

Abſolutiones ſuam, *ex Gavanto*, ſumunt denominationem a nobiliori, quæ dicitur in tertio Nocturno, in qua ſunt ea verba: *A vinculis peccatorum noſtrorum abſolvat nos &c.* Ita etiam vocantur *ex eodem Gavanto*, vel quia abſolvitur Nocturnum, vel quia ſimul cum Oratione Dominica præcedenti petimus mundari corda, & corpora noſtra ad audiendum verbum Dei in Lectioni-

bus: nam Oratio Dominica dicitur (*ex Durand. lib.* 5. *cap.* 3.) ut qui eget, sapientia, ad Lectiones intelligendas necessaria, postulet eam a Deo, qui dat omnibus affluenter: & ut ejusdem Orationis auxilio proficiat in nobis renovata per pręcedentem versum, (absolutionem nempe) intentio. De Benedictionibus autem agemus ad verb. *Benedictio*.

Adventus Domini. De hoc quoad ejus institutionem, & Ritus varietatem egimus in Prima Parte. Hìc autem adnotandum tantum occurit, quod in Adventu omittuntur Suffragia Sanctorum, ne ante Christum natum implorare videamur eorum opem, quos ipse Christus suo adventu Sanctitate donavit. Neque fit commemoratio Crucis, ne videatur passus, antequam natus; neque item de Pace, quę ante Nativitatem ejusdem non fuit; sed Deo nato ab Angelis data est hominibus bonę voluntatis; *Azor. lib.* 10. *part.* 1. *cap.* 16.

Huc spectant sequentia Decreta, nimirum:

Cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit ab Apostolica Sede, ut semel, vel pluries in singulis Hebdomadibus, vel Mensibus celebrentur varia Officia per Annum, v. gr. de SS. Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo Duplici, vel Semiduplici, hujusmodi indulta non habent locum in Feriis Adventus, Quadragesimę, Quatuor Temporum, Vigiliarum, sivę cum jejunio, sive absque jejunio, nec in Feria 2. Rogationum, nec in alia Feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicę. *S. R. C.* 20. *Mart.* 1706. in suo Decreto generali, & habetur in Bulla-

lario particulari Clementis XI. *part.* 3. *conſt.* 6.

* Concurrente Dominica 2. Adventus die 7. Decembris cum Feſto Immaculatæ Conceptionis B. M. V. & die Octava Sancti proprii, debet fieri prius Commemoratio de Octava Sancti proprii, deinde de Dominica, juxtà diſpoſitionem Tabellę ſecundæ de Concurrentia Dominicæ Majoris ſive Primę, ſive Secundæ Claſſis cum die Octava; ut ibi regula tertia, quemadmodum docet Rubrica Breviarii Romani *num.* 11. Ita S. R. C. 10. *Jan.* 1693.

* In Feriis Adventus, quæ Antiphonę dicendę ſint tum ad Laudes, tum ad Horas, ſatis declaratur in Rubricis Breviarii, ſive etiam quando ſit dicendum Officium Defunctorum.

Alleluja, quid, & a quibus inſtitutum fuerit, ut decantaretur in Eccleſia Romana, dictum eſt *in Prima Parte*.

Alma Redemptoris. *V. in Prima Parte*.

Angelica Salutatio ter in die ſonatur cum Campana *ex Decr. Joann. XXII.* ut ſcribit *Polid. Virg. lib.* 6. *cap.* 12. ſeu verius Mane, & Veſperi *ex Decr. Gregorii IX.* Anno 1239. ut in eodem Anno ſcribit *Bzovius*. Et in Meridie abrogatum fortaſſe uſum poſt Joan. XXII. reſtituit Calliſtus III. Anno 1456. *ex eod. Bzovio*.

Antiphonę B. M. V. quę poſt Officium, ſeu poſt Horas recitari ſolent, nempe: *Alma Redemptoris*. *Ave Regina Cęlorum*. *Regina Cęli*, *&* *Salve Regina*; non leguntur apud antiquos, teſte *Gavanto*; ſiquidem, ut *Meratus* etiam affirmat, in nullo reperiuntur Breviario ante Annum 1520. Apud Franciſcanos autem, ut optime advertit *Gavant.* jam ab Anno 1249. in uſu erant. *Al-*

ma Redemptoris composita fuit *ab Hermanno Contracto* Monaco Reichriarensi in Svevia, ita appellato, quia ab infantia membra contracta habebat, & obiit Anno 1074. *Ave Regina Cęlorum* habet innominatum Auctorem. Versus verò eidem additus, *Dignare me &c.* est S. Ephrem, teste S. Hieronymo citato a *Schultingio Tom. 4. p.* 3. de pecul. Miss. . *Regina Cęli* ab Angelis inventa, & edita ex antiqua traditione, ut scribit *Sigonius lib.* 2. *Italici Regni*. Ultimum versum, *Ora pro nobis Deum* illi addidit S. Gregorius Papa, quando tempore Paschali pestis inguinaria devastabat Romam, ut in ejus vita narratur, & a *Durand. lib. 6. cap.* 89. *Salve Regina* Auctorem habet, *ex Durand. lib.* 4. *pag.* 22., Petrum Compostellanum; sed longe probabilius est, eam ab Hermanno Contracto compositam fuisse, *ex Tritbemio lib.* 2. *de Viris Illustr. Benedict. cap.* 84. *Anno* 1040. S. Bernardus piis Commentariis hanc Antiphonam illustravit, & auxit ultimis iis verbis: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*: ut habetur *in lib.* 12. *Chron. de Urbe Spirensi*. Gregorius IX. decrevit, prædictam Antiphonam recitari in Matutinis, & Vesperis Anno Domini 1239. *Bzovius eod. Ann.* Navarrus *de Oration. cap.* 19. *n.* 184. eam dicit cantatam ab Angelis in Sabbatis in Roncavalle; & appellari Cantionem Nauticam, quia Nautę eam frequenter habent in ore naufragantes.

• Extra Chorum prędictę Antiphonę dicuntur tantum in fine Completorii, & Matutini post Laudes, si tunc terminatur Officium; alioquin si alia subsequatur Hora, in fine ultimę Horę,

non

non ratione Horę, sed ratione Matutini, & Laudum. Et quando separatur Matutinum a Laudibus, non dicuntur: possunt tamen semper dici post quamcumque Horam ex devotione.

* In Choro autem dicuntur semper post quamcumque Horam, quando a Choro discedendum est, etiam post Horam Officii parvi B. M. V. ut recessuri salutent prius Beatam Virginem, quam initio cujusque Horę salutaverunt cum Angelica Salutatione; vice cujus in fine Officii dicuntur hæ Antiphonæ post Orationem Dominicam. Numquam verò dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum (etiam ex devotione recitandum, ut deducit *Gavantus ex Rubrica*): neque quando subsequuntur Psalmi Pęnitentiales, aut etiam solę Litanię. Item non dicuntur quando subsequitur Missa quia continuatur Officium Divinum, qualis est Missa, neque per Antiphonas prędictas facienda est interruptio, seu divisio. Si tamen Missa longiori mora differatur; eo casu erunt dicendę, ac si discedendum esset a Choro, nam in Rubrica XXXVI. *num.* 3. habes hæc verba: *quando post aliquam Horam* immediatè *subsequitur Missa*. Oratio verò mentalis post Horas non tollit has Antiphonas finales; sed debent dici licet a Choro non discedatur.

* Dicuntur autem flexis genibus, præterquam in diebus Dominicis a primis Vesperis Sabbati, ex Conc. Nicęno *Can.* 20. *vel* 29. *apud Turrianum*. Toto item tempore Paschali non genuflectimus *ex Ambros. serm.* 6. *de Pentec.* & Hieronymo *in Dialog. ad Luciferianos*. Hebdomadarius verò

semper stat ad Orationem recitandam post prędictas Antiphonas *ex Amalar. lib. 4. cap. 4. & 7.*

Antiphona est vocabulum ex duabus Græcis vocibus compositum *Antos*, scilicet, quod oppositionem significat, & *Phonos*, quod vocem latinè sonat. Hinc optime docet Gavantus, quod Antiphona idem significat, ac vox opposita, seu contra sonans. Sic cum montium concava vocem aliquam resonant ab aliquo prius editam, Græcè *Antiphonazim*, sive, ut latinè sonet, *Antiphonare* dicuntur. Hoc igitur nomine Antiphonę probabiliter nuncupantur, quia olim bis cantabantur ante Psalmum, & ad singulos Psalmi versus repetebantur: Cantata, scilicet, Antiphona a Cantoribus, seu a primo Choro, eadem a reliquis de Choro immediatè, & post unumquemque Psalmi versum repetebatur. Qui Ritus nostris etiam temporibus viget in Psalmo *Venite exultemus Domino*; Antiphona enim, quę Invitatorium appellatur bis dicitur, & ad singulos Psalmi versus modo integra, modo ex parte repetitur.

Antiphonę quo Ritu generatim dicendæ sint vide Rubricam XXI. quæ *De Antiphonis* inscribitur: Supervacaneum enim visum fuit ea hic apponere, quæ omnibus in Breviario præsto sunt.

Antiphonarum usum Orientalis Ecclesia Ignatio Antiochiæ tertio post S. Petrum Episcopo acceptum refert. Et S. Ambrosius Mediolanensis Antistes primus postea fuit, qui Gręcorum imitatus exemplum, hunc alternatim canendi modum per Antiphonas in sua Ecclesia Mediolanensi instituit; quem Ritum sub Damaso Papa, seu potius, ut ex antiquis Scriptoribus colligitur,

sub

sub Cęlestino Ecclesia Occidentalis universa recepit.

Antiphonarum triplex est genus : Scripturalium, Historicarum, & ex utrisque mixtarum. Scripturales sunt, quæ ex Libris Sacræ Scripturę tum Veteris, tum Novi Testamenti depromptę sunt. Sic Antiphonę ad *Magnificat* in primis Vesperis Dominicarum ut plurimum sumuntur ex Sacra Scriptura Veteris Testamenti legenda in Matutino ejusdem Dominicę. In secundis autem Vesperis sumuntur ex Evangelio, quod in eadem Dominica legitur, sicut etiam ad *Benedictus*. In Nocturnis verò Dominicę, & Feriarum, nec non in Vesperis, plerumquè sumuntur Antiphonæ ex Psalmis, quę idcirco dicuntur Psalteriales; sed semper reducuntur ad Scripturales. Historicę sunt illę, quę ex Historia Mysterii, seu Sancti, cujus Festum est depromptæ sunt : cujusmodi sunt Festorum Christi Domini, Sanctorum Petri, & Pauli, Stephani, Laurentii, Clementis, & Sanctarum Agathę, Luciæ, Cæcilię, & alię omnes Officiorum propriorum. Mixtę denique dicuntur illę, quę vel ex Psalmis, vel ex alio Scripturę Libro depromptę, paucis verbis additis, vel mutatis, vel transpositis, ad rem Mysterii, seu Sancti traducuntur; quales sunt Antiphonæ Vesperarum diei Nativitatis Domini : *Tecum principium &c.* & Antiph. tertia laudum S. Steph. & S. Laurentii: *Adhæsit anima mea &c.* Notandum autem, quod Psalteriales Antiphonę, & mixtę cum illis non sunt idoneę, nisi ad eos Psalmos, ex quibus erutæ sunt; alię verò sive Historicę, sive Scripturales, quę ex Psalmis non sunt desumptæ, ad quoscumque Psalmos pręmitti possunt.

Antiphonæ Majores in Adventu dicuntur eę, quæ per

per septem dies ante Nativitatem Domini recitantur incipientes ab O, quę majores aliis sunt, quia duplicantur, ad explicanda iterata suspiria SS. Patrum, ait *Durandus*. Septem sunt, *ex Amalar. de Ord. Antiph. cap.* 13. ut per Octavam ante Nativitatem Domini accendamur erga Christum venturum, admirantes potius, quam vocantes Salvatorem, qui jam venit. Nam illud, O, admirantis est potius, quam vocantis. Mysticè quoque septenarius harum Antiphonarum numerus significat septiformem Spiritus Sancti gratiam; unde ab eodem Auctore earum ordo sic explicatur: ut in prima Antiphona dicatur Christus *Sapientia*, quia venit in Spiritu Sapientię. In secunda *Adonai*: quod nomen Moysi indicavit Deus, qui legem dedit, & venit nos redimere per spiritum intellectus. In tertia, *Radix Jesse in signum Populorum*, hoc est in signum Crucis, & liberare nos venit in Spiritu Consilii. In quarta *Clavis David*, qui Cęlum justis aperit, & Infernum claudit in spiritu fortitudinis. In quinta *Oriens*, qui nos illuminat spiritu scientię. In sexta *Rex Gentium, & Lapis Angularis*, qui salvat omnes per spiritum pietatis. In septima *Emmanuel*, qui venit non sine spiritu timoris, dans cunctis Charismata amoris. Præcedunt has Antiphonas aliæ ad Laudes, quasi pręparatoriæ ad Majores, de quibus extat propria Rubrica in Breviario; sed notandum, quod in Sabbato semper dicenda est quarto loco Antiphona, *Expectetur*, ut concordet cum Cantico Sabbatino, de quo sumpta est. Atque eadem ratione, quando alicubi contingit reponi has Antiphonas in Feria diversa ab ea,

cui

cui sunt assignatæ , Antiphona 4. ea erit , quę conformis est Cantico recitando : Antiphonę enim Psalteriales , ut supra dictum est , non sunt idoneæ , nisi ad eos Psalmos , vel ad ea Cantica , ex quibus erutæ sunt . Quando in Dominica Quarta Adventus occurrit Vigilia Nativitatis , Antiphonę ad Laudes hujus Dominicæ dicuntur in Sabbato præcedenti (non enim omitti debent , ut affirmat *Microlog. cap.* 33.) in quo legitur etiam Evangelium ipsius Dominicę : adeoque eo Anno omittuntur Antiphonę ad Laudes , quę occurrunt die S. Thomę . Licet autem in prędicto casu Antiphona 4. dictę Dominicæ omittatur (cujus loco dicitur Antiphona , *Expectetur* , ratione supra allata) eadem tamen quarto loco resumitur in Vigilia Nativitatis , ne Officium hujus Dominicę ullo modo pereat .

Antiphonę proprię ad Magnificat , quę ferè omnibus feriis Septuagesimę , Sexagesimę , & Quinquagesimę sunt assignatę , omittuntur quando in iis Feriis occurrunt Festa Sanctorum ; non enim sunt Ferię privilegiatę ut Adventus , & Quadragesimę , quarum Antiphonæ numquam omittuntur . In Feria autem quinta Sexagesimę , & item sexta in Anno Bissextili , dicuntur Antiphonę , quæ in pręcedentibus Feriis fuerunt omissę , si occurrat fieri de Sancto in eisdem , vel certè de Psalterio sumuntur ; non autem de Feriis Septuagesimæ , quarum Antiphonæ si omittantur ob Festa Sanctorum , non resumuntur in sequenti Hebdomada : (*Gavant.*) Rubrica enim de his Antiphonis posita ante Feriam V. Sexagesimæ , non se extendit ultra suam Hebdomadam .

An-

Antiphonę habentes in fine *Alleluja*, si dicendæ sint tempore a Septuagesima, ad Sabbatum Sanctum intercepto, sine *Alleluja* dici debent : E contra verò tempore Paschali Antiphonis omnibus non habentibus in fine *Alleluja*, additur, exceptis Antiphonis Officii parvi B. M. quando dicitur in Choro tempore Paschali.

Ave Regina Cęlorum. Vide *Antiphonę B. M. V.*

B E

B*Enedicamus Domino* dicitur in fine Horarum, & respondetur *Deo Gratias*; subsequitur enim, inquit *Amalar. lib.* 4. *cap.* 4. post Orationem Benedictio, & gratiarum actio, quia Christus benedixit Apostolis, cum discederet; Et Apostoli in gratiarum actionem adoraverunt : quod notat *Hugo lib.* 2. *de Off. cap.* 4. Et Monachi olim, ut idem ait *cap.* 2. cum discessuri erant, Benedictionem petebant a Superiore, quę & congruè a Deo petenda est in fine cujuslibet Horę.

Benedictionem ante Lectiones petit a Sacerdote Hebdomadario per verba : *Jube Domne Benedicere*, qui ad legendam Lectionem destinatus est, qui etiamsì Clericus sit, non genuflexus, sed inclinatus tantum versus Hebdomadarium manet proferendo illa verba *Jube Domne &c.* & sic perseverat, donec ab illo stante proferatur Benedictio. Lector igitur magnę humilitatis gratia, non a Sacerdote, sed ab eo, cui Sacerdos jusserit, se postulat benedici, dices; *Jube Domne benedicere*. Sacerdos autem ut tantę humilitatis vicem reddat, non subjecto cuiquam benedicendi delegat officium, non per semetipsum Benedictionem dare pręsumit, sed prius, ut a Deo,

qui

qui est super omnia benedictus, erogetur exposcit. Dicitur autem a Lectore *Domne*, non *Domine*: sed vide *Domnus in Prima Dictionarii Parte*.

* Sunt qui putant, quod ille, qui solus Officium recitat dicere debeat; *Jube Domine*; sicuti dicit Sacerdos hoc idem in Missa privata ante Evangelium: at, *ex Petro Damiani*, Officium cum singillatim dicitur, eodem semper pacto recitandum est, ac si in communi orantes psallerent. Ille enim, inquit ipse, qui Officium Canoninicum recitat totius Ecclesię nomine orat, atque loquitur, eamque repræsentat, aliàs omnia, quę plurali numero pronuntiantur, essent resecanda, veluti, Invitatorium: *Venite exultemus*, atque etiam, *Oremus*. Et Ecclesię Doctores aliud Officium pro singularibus hominibus, aliud pro eorumdem cętibus, seu conventibus instituissent, quod cum non fecerint, eodem semper modo recitandum sanè est Divinum Officium.

Benedictiones fiunt in numero ternario, & in nomine distincto Personarum SS. Trinitatis, & rectissimè, ut patet. *Gavant.*

* Quę autem Benedictiones pro Officiorum varietate sumendę sint, satit liquet ex Rubricis Breviario Romano præfixis. Superest solum, ut hic sequentia S R. C. Decreta hac de re exhibeamus.

* In Officiis Sanctorum concessis Regularibus infrà Annum, puta Conceptionis, S. Francisci &c. sicut etiam in Officiis Translationum, octava Benedictio erit: *Cujus Festum Colimus &c. S. R. C. 14. Febr. 1666.* Item in Conversione S. Pauli dicendum non est *Cujus Conversionem*, sed *Cujus Festum colimus. Ead. S. R. C. eodem die*, &

& Anno, ut refert *Pitonus*, *& Fagioli*. Ex quibus S. R. C. Decretis patet, quid faciendum sit in Officiis Translationis, Apparitionis, Ordinationis, Inventionis, & similium. Denique eadem S. R. C. 13. *Sept.* 1692. decrevit, ut ubi celebratur Festum, S. Raphaelis Archangeli, ad octavam Benedictionem dicatur: *Cujus Festum colimus*, non verò: *Quorum Fest. &c.* Et ratio hujus Decreti est, quia in officio S. Raphaelis (sicut etiam in Officio S. Gabrielis) imploratur, & invocatur ejus solius auxilium: sed quia in Festo S. Michaelis imploratur auxilium omnium Angelorum, idcirco ad octavam Benedictionem tunc dicitur, *Quorum Festum colimus &c.*

Benedictio, quæ etiam ad hanc diem ab Episcopis res Divinas facientibus impertiri solet post Laudes, & Vesperas, præscribitur a Concilio Agathensi *Can.* 30 in quo sancitur: *Plebs Collecta Oratione ad Vesperam, ab Episcopo cum Benedictione dimittatur.*

Benedictio Mensæ originem habet a Christo, qui benedixit antequam Panes quinque distribueret Turbis: Et in ultima Cęna benedixit, fregit &c. Post Cęnam eamdem Hymnum dixit, *Matth.* 16. idest Psalmum 113. *In exitu Israel de Ægypto*, ut docet *Baronius* Ann. 34. ex Rituali Hebreorum in Paschali Cęna, quo (morem aliorum sequutus) usus esse creditur Dominus noster. Apostoli igitur imitati Christum, docuere posteros Benedictionem Mensę, ut Paulus Timotheum *Epist.* 1. *ad eumdem cap* 4. Et S Athanasius *de Sermon. Virgin.* Ubi, *inquit*, sederis ad Mensam, & inceperis frangere Panem, ter eum consignans (hoc est signo Crucis) his verbis

gra-

gratias age: *Gratias agimus tibi Pater noster*; & cum surrexeris a Mensa, rursus gratias agendo, trinis vicibus dicas: *Miserator*, *& misericors Deus escam dedit timentibus se*. *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*. S. Hieronymus *Epist*. 22. *ad Eustachium de cust. Virg.* ait: Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa: nec recedatur a Mensa, nisi referatur Creatori gratia. Cum autem formula in Breviario tradita, tum benedicendi, tum gratias agendi auctorem non habeat, & in antiquissimis reperiatur Breviariis; sua antiquitate, auctoritatem sibi conciliat maximam.

Beneficiatus, cujus Titulus Beneficii est Altare, non debet de hujusmodi Titulari Officium recitare, ut de Festo primę Classis: neque alio Ritu, quàm in Kalendario sit descriptus. *Gavant. sect.* 3. *cap.* 12. Quod si Sanctus hic Titularis Altaris, & Beneficii non sit descriptus in Kalendario, non potest Beneficiatus de eo Officium recitare inconsulta S. R. C. ut enim advertit Gavantus *sect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 12. ex Decr. S. R. C. 8. *Apr.* 1628. nemini licet, neque Ordinariis locorum, sive Sęcularibus, sive Regularibus aliqua Sanctorum Officia Kalendario addere, inconsulta Sancta Sede Apostolica, sub pęna non satisfaciendi propriæ obligationi. Nisi tamen, *ex Guyeto lib.* 1. *cap* 10. *qu.* 3. de Sancto Titulari Altaris haberetur insignis Reliquia: tunc enim ratione Reliquię insignis, approbatę, authenticæ, & de Sancto in Martyrologio Romano descripto, esset faciendum Officium. Addit etiam *Bissus lit. T. n.* 65. quod si adesset recepta consuetudo in aliqua Ecclesia faciendi Officium de Sancto Titulari alicujus Altaris, tunc hujusmodi con-

consuetudo (dummodo sit legitimè introducta) erit attendenda , ut colligitur ex iis, quæ idem *Bissus* dixit *in lit.* *C.* *n.* 490. Quod si Titulus esset Ecclesię dirutę ad illud Altare translatę , ille qui emolumenta prędictę Ecclesię percipit, æquum est, ut recitet Officium de eo in ejus Festo , ne depereat cultus illius Titularis Ecclesię , & Ritus erit Semiduplex , nisi dignitas ejusdem aliud exposcat; exemplo sumpto a Vaticana Collegiata S. Petri, quę celebrat Festum S. Blasii Semiduplex , ob Ecclesiam ejusdem Sancti cum emolumentis unitam Collegio Canonicorum S Petri : sed in his casibus consulatur S. R C.

Beneficiatus verò quilibet habens Ecclesiam, quę est Titulus Beneficii, licet apud eam non resideat, debet tamen Festum ejusdem colere , uti primę Classis, & cum Octava celebrare ; quia Festum Tituli est Ecclesię.

Beneficiatus, qui plures habet Beneficiorum , vel Ecclesiarum Titulos, totidem, *ex Gavanto*, *sect.* 5. *cap.* 18. *n.* 11. tenetur facere in Officio Commemorationes , sive Antiphonis , Versibus, & Orationibus pro unaquaque Commemoratione distinctis , sive saltem uniendo Sanctorum nomina in Orationibus , de Majorum licentia formata communi Antiphona cum suo Versu . *Sanchez*, & *Bonacina* citati a *Gavanto* omittentem hujusmodi Commemorationes peccati Mortalis reum affirmant , teneriquè pro rata ad restitutionem fructuum . Quam quidem doctrinam , Gavanti ipsius judicio nimis rigidam, validissimis rationibus refellit doctissimus *Guyetus lib.* 3. *cap.* 17. *quęst.* 10. docetque non teneri plures habentes Bene-

si-

ficiorum Titulos ad omnes Commemorationes per Annum, sed ad Commemorationem Tituli tantum, in quo residet, vel dignioris, (si in nullo resideat) vel cujus ipse voluerit.

Bissextilis Annus est ille, qui uno die est major Anno Communi, qui dies Februario additur, dicendo bis, *Sexto Kalendas Martii*, a quibus verbis : *Bis = Sexto*, Annus hujusmodi dicitur *Bissextilis*, & accidit singulis quaternis Annis. Cum enim Annus communis Solaris constet ferè sex horis supra dies 365. certum est, quod intra quatuor Annorum spatium, dies quasi integra constituitur addenda Mensi Februario, *ut supra*. Dixi *quasi integra*, nam horæ illę sex, quibus Annus communis dies excedit 365. non sunt integrę, aliquibus minutis deficientibus, quorum numerum determinare Astronomi non potuerunt. Patet ergo, quod si addatur singulis quaternis Annis dies integra Mensi Februario, ad pristinam progressù temporis confusionem Kalendarium reduceretur; minuta enim illa neglecta Computum paulatim retro agerent. Verùm huic defectui in Kalendarii correctione Anno 1582. optime consultum est. In ea enim statutum fuit, ut tres centesimi Anni, nempe 1700., 1800., & 1900. non essent Bissextiles; atque ita temporis nimis retardati ęquatio fiet, parique ratione deinceps (si nondum Mundi finis advenerit) Annus 2000. Bissextilis erit, sed 2100., 2200. 2300. erunt communes. Qua adhibita computandi ratione, jam amplius Anni temporum confusio non redibit.

Breviarii nomen antiquissimum est, & Micrologi ęvo, nempè Anno 1080. pervulgatum fuit, & e-

exinde semper usurpatum ad designandum Divinum Officium: Quasi dicatur *Breve Horarium*, sive *Precum Epitome*. De quo ait *Lessius de Justitia, & Jure, de Devot. & Orat. dub.* 8. Breviarium admirabile est Mysteriorum Sacræ Scripturę compendium. Continet enim Psalmos, in quibus per modum laudis, omnia mysteria clauduntur: tum selectissima queque Veteris, & Novi Testamenti: tum Patrum monumenta nobiliora; tum pręcipua Sanctorum: breves denique Orationes, seu Collectas a Summis Pontificibus ut plurimum compositas, & indicat quotidię quę preces adhibendę. *Romanum* dicitur, quia preces continet juxtà Ritus S. R. E. Pius autem V. postquam Breviarium ipsum Sacrosancti Concilii Tridentini Decreto restitutum fuit, pręclarissimorum Virorum opera, & eruditione adhibita, Breviarum, hoc Sacrarum Precum (in quo, & precum diversitas a variis introductæ, & nimia diversimodè facta contractio, confusionem in Ecclesia induxerat) nec non Missalem Librum ad pristinum decorem, gravitatemque restitutum, ac metodo certiore dispositum, usui Ecclesiarum Christiani Orbis feliciter tradidit, ut liquet ex ejus Bulla Breviario Romano præfixa.

C A

Canticum a Psalmo distiuguunt Hilarius, Chrysostomus, Euthymius, & Basilius: ajunt enim, quod Psalmus est sermo musicus, qui secundum armonię rationem ad Organum pulsari, & simul cantari solet: Canticum verò est cum Cantorum Chorus libertate sua utens, nec in consonum Organi adstrictus obsequium, solius vocis modula-

latione exultat. Canticum autem *ex Durand. lib. 5. cap. 4.* gratiarum actionem significat: omnia enim Cantica composita fuisse ad persolvendas Deo grates pro insigni aliquo, & speciali beneficio, affirmant *Riccardus Victor. lib. 4. in Apocal. cap. 6.* & Rupertus *in Prol. Canticorum*. Verum alii Auctores observant, multiplicem fuisse Canticorum materiam. Aliquando enim fuit gratulatoria, ut in Cantico Moysis post transitum Maris rubri; in Cantico Deborę post interfectum Sisaram, in Cantico Judith post necem Holofernis; & in Cantico, quod tres Pueri liberati ab incendio fornacis Babylonicæ cecinerunt: Hujusmodi tamen Cantica Eucharistica etiam dici possunt. Rursus materia Canticorum fuit etiam prophetica, ut in Canticis Isaię, & Habacuc; fuit item invectiva, ut in Cantico, quod cecinit Moyses coram Filiis Israel, quando invocavit contra ipsos Cęlum, & Terram. Hęc omnia confirmat *Card. Bona* auctoritate *Ambrosii lib. 6. in Lucam.* Quamvis autem multa sint Cantica, quę in Sacris paginis leguntur, Ecclesia tamen Romana septem tantum ex Veteri, & alia tria ex Novo Testamento admittit in suo Breviario. Quæ ex Veteri Testamento deprompta sunt Cantica, per septem Hebdomadæ dies distributa, dicuntur post tertium Psalmum in Laudibus, ut in Breviario. Notandum verò, quod Canticum trium Puerorum diei Dominico adscriptum, est Festivus; & ideo in omnibus Festis dicitur, reliqua tantum in Ferialibus; *Gemma lib. 2. cap. 53.* Dicitur autem in Dominica prædictum Canticum *Benedicite*, quia in Dominica universa creata sunt confusè, quæ in Cantico invitantur ad

Laudem Dei . *Durand. lib.* 5. *cap.* 4. Sed versus hujus Cantici ab Ecclesia reducti sunt ad minorem numerum , rejecta illa repetitione : *Laudate , & superexaltate &c.* quæ habetur in Daniele : preterea eadem Ecclesia addidit in fine glorificationem SS. Trinitatis : *Benedicamus Patrem &c.* Tria verò Cantica , que ex Novo Testamento eruta sunt, quotidie dicuntur in Officio : *Magnificat* , videlicet , *Benedictus* , & *Nunc dimittis* , ut patet , sed causas vide apud *Gavantum sect.* 4. *cap.* 2. *n.* 13. *cap.* 5. *n.* 8. & *cap.* 6. *n.* 9. Hec autem dicuntur Cantica Evangelica , quia sunt pars textus Evangelii Sancti Luce , & ideo stant omnes , dum hæc dicuntur , uti fit ad Evangelium in Missa . Tria hæc Evangelica Cantica cum signo Crucis a fronte ad pectus incipimus , *ex Beleth. cap.* 40. quia est Evangelium , ad cujus initium idem Crucis signum adhibetur in Missa , licet diverso modo : Atque *in Cerem. Episc. lib.* 2. *cap.* 1 hoc Crucis signum precipitur Episcopo ad initium Cantici , *Magnificat* .

Capitula sunt breves quædam Lectiones è Sacra Scriptura depromptę , quæ dicuntur ad Horas Canonicas , aliquando ante Hymnum , ut ad Laudes , & Vesperas , aliquando post Hymnum , ut ad Completorium , aliquando dictis Psalmis cum Antiphona , ut ad reliquas Horas minores . Hujusmodi autem breves Lectiones *Capitula* dicuntur , quia , ut ait *Hugo lib.* 2. *cap.* 1. capita sunt , & principia variationis ad Horas , cum precedentia sint semper eadem : vel , *ex Durand. lib.* 5. *cap*, 2. Capitula vocantur , quia ut plurimum in Festis sumuntur de Capitibus

E-

Epiſtolarum, quę leguntur in Miſſa. Auctorem Capitolorum ad Tertiam, Sextam, & Nonam S. Ambroſium fuiſſe teſtatur *Gavantus*, licet nihil ea de re in ipſius Operibus, neque apud vetuſtos Auctores inveniamus. Concilium poſtmodum Agathenſe *Can.* 21. *diſt.* 5. *de Conſecr.* juſſit dici Capitula poſt Pſalmodiam; ubi & ea vocat Collectiones. Non petitur Benedictio ante Capitula, quia ut plurimum has Lectiones legit Superior, qui Chriſti vicem gerit: Hebdomadarius eas legit, qui legentibus ad Matutinum, & ad Abſolutionem in fine Primæ, & ante Completorium, Benedictionem impertit, vicem & ipſe majoris gerens. Præterea ſtamus ad Capitula, non ſedemus, ſicut ad Lectiones Matutini: tum quia breves ſunt Lectiones, & minus fatigamur: tum quia ſtante majore, qui Capitula legit, ob ejuſdem reverentiam ſtare debent alii, ut de nona Lectione ab Epiſcopo lecta in Natali Domini præſcribitur *in Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 5. In fine non dicitur, *Tu autem Domine &c.* quia neque dicitur ante, *Jube Domne &c.* quę duo ſunt invicem correlativa.

Capitulum Tertię, *ut notat. Radulph. prop.* 13. in Feſtis idem eſt ut plurimum cum Capitulo Laudum, & Veſperarum. Ratio eſſe poteſt, quia Veſperę, Laudes, & Tertia, ſunt Horæ nobiliores. Ad Tertiam enim dicitur Miſſa de Feſto Solemnis, & per Tertiam fit ad Miſſam aditus. Quare Capitula Veſperarum ter dicuntur: Capitula Nonę bis, ad Abſolutionem in Prima, & ad Nonam: Capitula ad Sextam ſemel, quę ſunt quaſi meditullia Epiſtolarum Miſſę, ſicuti Capitula Tertię initia Epiſtolarum, & Capitula

Nonæ terminationes Epiſtolarum . Sed tempore Adventus , & Quadrageſimę quælibet Hora habet ſuum Capitulum pro toto tempore , ut conſtat *ex Breviario* .

Capitula ſumi debent ex Scriptura Sacra . Diſcordant tamen aliquando a textu Vulgato Bibliorum : quibus in caſibus ſufficit auctoritas Sanctæ Romanę Eccleſię , de qua S. Bernardus *Serm.* 3. *Vig. Nat.* hęc habet : *Cum Eccleſia* , inquit , *in Scripturis Divinis verba vel alterat , vel alternat , fortior eſt illa compoſitio , quam poſitio prima verborum : & fortaſſis tantò fortior , quantum diſtat inter figuram , & veritatem , inter lucem , & umbram , inter Dominam , & Ancillam* . Quę quidem notanda ſunt pro caſibus pluribus in Miſſali , & Breviario , niſi alia ſuppetat ratio , videlicet , quod Eccleſia utitur aliquando verſione Itala Sacrę Scripturę , pręſertim in his Capitulis, & ſępe in Introitu, & reliquis, quę in Miſſa cantantur. Quo autem Ritu , quibuſque temporibus dici , vel non dici debeant Capitula , habetur in Rubrica XXIX. quę *De Capitulis* inſcribitur .

Caput quando inclinari debeat in recitatione Horarum Canonicarum tam privatè , quam in Choro, Vide *Horæ Canonicæ* .

Cognomina , & Patrię Sanctorum ab Orationibus expungenda ſunt , *ex Decr. S. R. C.* 5. *Maii* 1736. Et ne dubium aliquod hac in re oriri poſſit pro aliquibus Sanctis , notandum , quod adeſt Schedula Miſſalis typis Reverendę Camerę (cujus exemplum omnes Typographi extra Urbem tenentur exactè ſequi *ex Decr. S. R. C.* 11. *Aug.* 1691. *approb. Innoc. XII.*) Sigillo Sacrę Rituum Congregationis , & manu D. Secretarii firmata , in qua ſpe-

ſpecificè, & ſignanter ſequentia tolluntur Cognomina, & Patriæ Sanctorum ab Orationibus, ad normam aliorum Decretorum in ipſa ſchedula expreſſorum. Et ſunt S. Canuti *Regis Danorum* S. Petri *Nolaſco*. S. Joannis *de Matha*. S. Pii *Quinti*. S. Margaritæ *Reginæ Scotiæ*. S. Raymundi *Nonnati*. Et S. Margaritæ *de Cortona*.

De Sanctis autem Joanne Chryſoſtomo, & Petro Chryſologo dubitari poſſet, an *Chryſoſtomus*, & *Chryſologus* ab eorum Orationibus auferri debeat: non enim ſunt Cognomina, quæ cum aliis ex eorum progenie habeant communia, ſed Elogia ſunt, quæ eis merito tribuuntur ad miram illorum eloquentiam exprimendam: *Chryſoſtomus* enim ex duobus Græcis vocabulis compoſitum, *Chryſis* nempe, quod *Aurum*, & *Tomos*, quod *Os* Latinè ſonat: *Os aureum* interpretatur. *Chryſologus* pariter ex Græcis *Chryſis*, de quo ſupra, & *Logos*, quod *Sermo* ſignificat, *Aurei Sermonis* S. Petrum deſignat. Hinc eſt quod hujuſmodi prædictorum Sanctorum Cognomina ab Orationibus non ſunt expungenda. Errant pariter de S. Jo. Gualberto, qui putant *Gualbertum* eſſe Cognomen, cum revera nomen illius ſit. Ita *P. Caval.*

Commemoratio numquam facienda eſt de eodem Sancto, de quo fit Officium, etiam in Suffragiis. Hinc eſt, quod in Vigilia Patroni, quæ habet Officium in Kalendario, erit ea die omittenda Commemoratio de Patrono, quæ ſolet fieri inter Suffragia. *Gavant. ſect.* 3. *cap.* 12. *n.* 23.

Commemorationes, quo Ritu, & ordine & de quibus Feſtis faciendæ ſint in occurrentia, & concurrentia plurimorum Sanctorum, aut Feſtivitatum, vide *Rubricam IX.* quæ *De Commemorationibus* inſcribitur.

* Verum nonnulla hic de iis tradenda sunt, ut ea, quæ breviter in dicta Rubrica expressa sunt, facilius intelligantur.

Commemorationes igitur, quæ faciendę sunt aliquando in Officio diei currentis ad utrasque, aut saltem alterutras Vesperas, nec non ad Laudes, & respective ad Missam post Orationem diei ex præscripto Rubricarum, sunt duplicis generis: nempe, *Speciales*, & *Communes*. Speciales consistunt in his Antiphonis, Versibus, & Orationibus, quæ ratione alterius Festi, aut Officii occurrentis, vel concurrentis, Orationi Festi, aut diei currentis in hujus Officio prędicti loci sunt superaddendę. *Communes* dicuntur etiam *Suffragia Sanctorum*, sed de iis infra.

* De Commemorationibus autem specialibus agentes, notandum, quod eas fieri contingit in Officio: de Feria Majori, de Simplici, de S. Maria in Sabbato, de die infra Octavam, de Semiduplici, de Dominica, de die Octava, & de Duplici omnium Classium: ut infra dicemus.

* De Feriis Majoribus, nempè Adventus, Quadragesimę, Quatuor Temporum, & Feria secunda Rogationum, quando de iis non potest fieri Officium propter impedimentum Festi Duplicis, Semiduplicis, vel Octavæ tempore respective permisso, semper fieri debet Commemoratio in Vesperis, & Laudibus (addita etiam pro ultima Lectione Homilia earumdem Feriarum ad Matutinum) etiam occurrente Festo Duplici primę Classis: cum hac differentia, quod de Feriis Quatuor Temporum Septembris, & de Feria secunda Rogationum fit Commemoratio tantum in Laudibus, de aliis autem etiam

ad Vesperas. De aliis Feriis minoribus per Annum nulla fit Commemoratio, etiam si de his non possit fieri Officium, excepta Feria 6. post Octavam Ascensionis, quę habet Officium sicut dies infra Octavam ejusdem Festi. Unde si in hac Feria occurreret Festum Semiduplex, dies Octava (non autem aliqua dies infra Octavam, quę per solam Commemorationem cessat ad Nonam) Duplex minus, & majus, tunc Officium faciendum erit de Festo cum Commemoratione Ferię prędictę in Laudibus, Missa, & secundis Vesperis, *ex Guyeti Tabella Commemorationis Feriar.* Si autem Festum illud esset Duplex secundæ Classis, fieri deberet Commemoratio Ferię in Vesperis tantum, *ex eod. Guyeto.* Si vero in ea occurreret Festum primæ Classis, nulla fieri deberet Feriæ prædictę Commemoratio. *Idem Guyetus.*

* Item fit Commemoratio Vigiliarum, quando de iis non potest fieri Officium propter aliquod impedimentum. Sed Vide *Vigilia.*

Commemoratio de Festo Simplici fit quando hujusmodi Festum occurrit in Feria Majori, Vigilia, S. M. in Sabbato, die infra Octavam, Semiduplici, Dominica, die Octava, & in duplici per Annum, tam in primis Vesperis, quam in Laudibus. In Duplicibus verò secundę Classis, fit tantum Commemoratio Simplicis ad Laudes, & in Missis privatis: Et in Duplicibus primæ Classis omninò omittitur Commemoratio Festi Simplicis occurrentis. De eodem tamen Festo Simplici, ut notat *Gavantus*, fieri debet Commemoratio in primis Vesperis, etiamsì cum eo pridie concurrat Festum Duplex secundę Classis, non autem Primę Classis.

Si

* Si Festum Simplex occurrat Feria quarta Cinerum, aut Feria quarta, vel sexta Quatuor Temporum aut in aliqua Vigilia, tunc quia Festum Simplex occurrens in dictis Feriis, & Vigiliis, non habet Officium, sed tantum Commemorationem in Laudibus, idcirco etiam pridie in Vesperis Feriæ, si quę illud præcesserit, habet tantum Commemorationem: ita ut pridie integrę dicantur Vesperę de Feria currente, non autem a Capitulo de Festo Simplici. Quod si Festum Simplex occurrat in Feria quinta Cęnę Domini, tunc in Vesperis Feriæ quartæ pręcedentis, ne quidem fit Commemoratio de illo simplici, eo quod postridie, nempe in dicta Feria quinta, nihil omnino fit, nec ad Laudes.

* Occurrente Festo Simplici in quacumque Dominica, de eo fit Commemoratio in Vesperis Sabbati, & Laudibus Dominicę, & in Missa, pręterquàm in Dominica Palmarum, sicut & in Vigilia Pentecostes, in quibus omittitur Commemoratio Simplicis in Missa etiam privata, licet de eo in Officio facta fuerit Commemoratio, ut colligitur *ex Rubrica VII. Missalis*.

* Observat etiam *Guyetus lib.* 4 *cap.* 5. *quęst.* 2. quod sunt aliqua Festa Simplicia, quæ cum aliis Festis Simplicibus occurrunt, ut accidit die septima Octobris, in qua occurrit Festum Simplex S. Marci PP. & Confessoris, cum Festo SS Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apuleii Martyrum: in hoc autem casu, de uno fit Officium, & de alio Commemoratio in Laudibus, Vesperis, & Missa: sic dicta die septima Octobris, de S. Marco PP. fit Officium, de aliis verò prędictis Martyribus fit tantum Commemoratio sine ulla Lectione.

Com-

Commemoratio de die infra Octavam fit in utrisque Vesperis, & Laudibus, quando in ea occurrit dies Octava alterius Octavæ, vel dies intra aliam Octavam digniorem, vel Duplex per Annum, vel Dominica. Quando autem occurrit Duplex primę, vel secundę Classis, nulla fit de die infra Octavas Commemoratio, exceptis Octavis SS. Stephani, Joannis, & Innocentium, de quibus fit Commemoratio etiam in Festis secundę Classis ex speciali privilegio; In Festo enim S. Joannis Evangelistæ fit Commemoratio de die infra Octavam S. Stephani, & in Festo SS Innocentium fit de diebus infra Octavas S. Stephani, & S. Joannis. Festum tamen Circumcisionis licet, ubi non est Titulus, sit tantum Duplex secundæ Classis, excludit tamen Commemorationem tam in Officio, quam in Missa dierum infra Octavam cujuslibet illorum Festorum; & excludit etiam in primis Vesperis Commemorationem de Duplici minori præcedente. Quę autem diximus de Commemoratione non facienda de die infra Octavam in Festis secundę Classis, intelligenda sunt de Octavis non privilegiatis; nam de tribus Octavis, Nativitatis, Epiphanię, & Corporis Christi, utpote privilegiatis, fit Commemoratio quocumque Festo etiam primę Classis infra eas occurrente. Item fit Commemoratio de die infra Octavam, quando concurrit cum sequenti die Octava alterius Octavę, Duplici per Annum, Semiduplici, & Dominica quacumque.

Commemoratio de die Octava fit in utrisque Vesperis, & Laudibus quando in ea occurrit alia dies Octava dignior, aut Duplex primæ, vel secundę Classis, aut Dominica primæ, vel secun-

cundę Classis. Item fit Commemoratio de ipsa die Octava in secundis Vesperis quando concurrit cum sequenti alia die Octava, cum Duplici minore, & majore, & cum Duplici secundę Classis.

Commemoratio de Dominica fit in utrisque Vesperis, & Laudibus (lecta etiam pro ultima Lectione Homilia Dominicę) quando de ea fieri non potest Officium, ob occurrentiam Festi Duplicis primę, vel secundę Classis, aut Duplicis per Annum, aut diei Octavę (excipe Dominicas vacantes; illas nempe, quę occurrunt in aliquo è Festis Domini, quęque in Kalendario appellantur Vacantes, quarum Commemoratio omittitur.)

Si Vesperę primę alicujus Dominicæ concurrant cum præcedenti Festo Duplici quocumque, tunc in secundis Vesperis Festi Duplicis, etiam primę Classis, erit facienda Commemoratio Dominicę sequentis. Si autem in secundis Vesperis concurrat Dominica cum primis Vesperis Duplicis alicujus sequentis; tunc videndum est & cujus Ordinis sit Dominica, & cujus Classis sit Festum Duplex: Si enim Dominica esset ex majoribus primę, vel secundæ Classis, tunc de Dominica semper fieri debet Commemoratio, etiamsi concurreret cum primis Vesperis Duplicis primæ Classis: Si autem Dominica esset ex minoribus per Annum, & concursus esset cum Duplici primę, & secundæ Classis, tunc nulla debet fieri Commemoratio Dominicæ; quod si concursus sit cum alio Duplici, in eo casu etiam de Dominica per Annum fieri debet Commemoratio.

Oc-

Occurrit etiam faciendam esse Commemorationem Dominicę anticipatę in Sabbato, quando scilicet neque in alia præcedenti Feria potuit fieri de illa Dominica. Hæc autem Commemoratio fit tantum ad Laudes cum Antiphona, & Oratione propria, sed cum versu Ferię tunc occurrentis, non verò cum versu ipsius Dominicę, ut asserit *Bissus lit. C. num.* 363. §. 5. Si enim fieret in Sabbato Officium Dominicę anticipatę, dicendum esset Nocturnum Sabbati, cum versu posito post Hymnum Laudum ipsius Sabbati; ergo si sola Commemoratio Dominicę facienda sit, idem versus dici debet. Hujusmodi autem Commemoratio ad Laudes tantum facienda est, Officium enim talis Dominicę anticipatæ, utpote Feriale, caret tam primis, quam secundss Vesperis, ut notat *Bissus lit. O. n.* 32. Advertendum autem, quod ad Matutinum pro ultima Lectione, addi debet Homilia talis Dominicæ, & in Missa fit ejusdem Commemoratio cum Evangelio in fine, & non dicitur *Credo*.

Commemorationes autem, quę in Vesperis tantum fieri debent sunt: de S. Maria in Sabbato, de Semiduplici, & de Duplici quocumque, quando concurrunt in primis Vesperis cum alio Festo prçcedenti altioris Ritus; In secundis autem Vesperis, quando cum iis sequens Festum concurrit altioris, seu etiam æqualis Ritus. Sed Vide *Concurrentia Officii*.

Ne autem dubium aliquod oriri possit de Commemorationibus faciendis in Festis primę, & secundę Classis, advertendum est, quod Duplex primę Classis admittit in primis Vesperis Commemorationem de Duplici primę Classis minus

Di-

digno, de Duplici secundę Classis, de Dominica primæ, vel secundę Classis, & (si illud Festum occurrat in Dominica) etiam de Dominica per Annum, & de Feria majori, non de aliis. In Laudibus admittit Commemorationem Dominicæ secundę Classis, & per Annum, diei Octavæ, & Ferię majoris, non tamen Vigiliæ. In secundis Vesperis admittit Commemorationem Dominicæ cujuscumque, Duplicis primę Classis minus digni, Duplicis secundæ Classis, & per Annum, diei Octavę, Semiduplicis sequentis, & Feriæ majoris. Et advertendum, quod si die sequenti fieri debeat Officium de aliquo die infra Octavam aliquam magis dignam tunc occurrentem, facienda est Commemoratio de tali Octava in secundis Vesperis dicti Festi primę Classis. Quod quidem intelligendum est de quacumque Octava etiam non privilegiata; de tribus enim privilegiatis, nempe, Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Christi facienda est Commemoratio quocumque Festo infra ipsas occurrente, ut dictum est supra.

Duplex autem secundę Classis admittit in Vesperis primis Commemorationem pręcedentis Dominicæ primæ, vel secundę Classis non verò Dominicę per Annum, nisi Festum idem secundę Classis incidat in ipsam Dominicam minorem, tunc enim admitteret ejus Commemorationem etiam in suis secundis Vesperis. Item admittit Commemorationem de Duplici secundę Classis minus digno, de pręcedenti Duplici majore, & minore, de die Octava quacumque tam pręcedente, quam occurrente, & de Feria majori, non verò de antecedente Festo Semiduplici, nec etiam de

Sim-

Simplici occurrente, neque de die infra Octavam non privilegiatam occurrente; non de Feriis minoribus, nec de Vigilia precedenti, nec de S. Maria in Sabbato.

* In Laudibus Festum secundę Classis admittit Commemorationem Dominicę cujuscumque, diei Octavæ, Festi Simplicis, & Feriæ majoris: non autem diei infra Octavam, licet sit nobilior Festo Simplici: nam cum de die infra Octavam fiat sæpius Commemoratio, de Festo autem Simplici semel tantum, ideo non officit, ait *Gavantus*, quod aliquando omittatur Commemoratio diei infra Octavam, licet nobilioris Festo Simplici.

* In secundis Vesperis admittit Commemorationem Dominicę cujuscumque, Duplicis secundę Classis minus digni, Duplicis per Annum, Semiduplicis, Simplicis, diei Octavæ, diei infra Octavam (si de ea sequenti die fiat Officium, quod est bene advertendum *Gavantus*) S. Marię in Sabbato (nisi Festum sit B. M.) & Ferię majoris. Et notandum cum *Gavanto*, quod si sequatur aliud Festum secundæ Classis minoris solemnitatis, de quo idcirco in dictis Vesperis fiat tantum Commemoratio, & si in eodem Festo sequenti occurrit Festum Simplex: tunc in secundis Vesperis integris precedentis Festi, nihil adhuc fit de Simplici; quia Festum sequens, licet non habeat Vesperas, ne quidem a Capitulo, sed tantum Commemorationem in illis, habet tamen jus in iis Vesperis (quę suę primę essent, nisi occurreret eo die Festum magis dignum) excludendi Commemorationem Festi Simplicis subsequentis: Immò, ut addit *Meratus* ex Halden *Part.* 3. *tit.* 6. §. 2. *n.* 3. exclu-

cludit etiam Commemorationem antecedentis Dominicę minoris per Annum.

Commemorationes fiunt per Antiphonas, quę Canticis *Magnificat*, & *Benedictus* sunt assignatę. Et ratio esse potest, quia sunt nobiliores Antiphonæ, tum ratione Canticorum Evangelicorum, tum vicinioris aditus ad Orationem, seu Collectam, quę dicitur pro Commemoratione. In Vesperis igitur sumitur pro Commemoratione Antiphona ad *Magnificat*, cui additur versus, qui dicitur in fine Hymni Vesperarum, tum Oratio ejus, de quo fit Commemoratio. In Laudibus pariter sumitur Antiphona ad *Benedictus*, cum versu, qui post Hymnum Laudum habetur, & Oratione.

* Sumuntur autem Commemorationes vel de Proprio, vel de Communi: & si ex eodem Communi sumitur Commemoratio, unde sumptum est Officium, variantur Antiphonæ, & versus ita, ut in Vesperis sumatur Commemoratio ex Laudibus, & è contra; nisi aliter notetur in propriis locis, ait *Rubrica de Com. n.* 8. Quod si in Officio de uno Martyre, fieri debeat Commemoratio de Martyre altero, & inter Suffragia facienda sit Commemoratio de Patrono item Martyre per Antiphonas de Communi, tunc ultimo loco pro Commemoratione Patroni sumenda esset Antiphona ad *Magnificat* a secundis Vesperis, & versus secundi, vel tertii Nocturni: Itemque si quatuor occurrant Commemorationes, sumenda esset Antiphona, quæ prima est Nocturni primi, & versus Nocturnorum, qui non est dictus in aliis Commemorationibus.

Commemorationes quo Ordine faciendę sint: Vide Rubricam *De Commemorationibus num.* 11.

Ad-

* Animadvertendum tamen, quod in quocumque Festo S. Petri fit Commemoratio S. Pauli ante quamcumque aliam Commemorationem; & è contra in quocumque Festo S. Pauli fit S. Petri Commemoratio ante aliam quamcumque. In Festo verò Desponsationis B. M. V. non est facienda Commemoratio S. Josephi, a quibuscumque celebratur Officium Desponsationis, sed solum debet fieri ab his, quibus specialiter prę-scribitur facienda talis Commemoratio, ut habetur in Decreto S. R. C. 5. *Maii* 1736.

Commemorationes Communes, sive Suffragia Sanctorum, ut vocantur a *Gemma lib.* 3. *cap.* 45. sunt illę quę habentur in Breviario post Vesperas Sabbati, & dicuntur in fine Vesperarum, & Laudum post Orationem Sancti, seu Feriæ, de quibus fit Officium, atque etiam post Commemorationes omnes speciales (Simplicium nempe Festorum, si quæ sint faciendę) Ritu, & tempore a Rubrica XXXV. *De Commemorat. Comm. &c.* satis aperte pręscripto.

Commemoratio de Cruce nonnisi in Ferialibus diebus facienda pręscribitur, & hęc semper primo loco. Deinde regulariter fieri debet Commemoratio de B. M. V. Sed si in Ecclesia, in qua celebratur Officium habeatur Titulus SS. Trinitatis, Spiritus Sancti, Salvatoris, Mysteriorum omnium Christi, Nominis Jesu &c. tunc Commemoratio talis Tituli collocari debet ante Suffragium B. M. sunt enim prętati omnes Tituli superiores dignitate præ omnibus aliis; & ideo etiam Titulum B. M. V. præcedunt. De nullo tamen dictorum Titulorum in Feriali Officio fit Commemoratio ante Commemorationem

de Cruce, quia hæc, quæ eſt Commemoratio de Chriſto Crucifixo, affixa eſt primo loco Officio Feriali, & in Feriç ſignum, ut ait *Gavant.* Quod ſi de Cruce tamquam de Titulo Ecclesiæ facienda ſit Commemoratio, in Officio Feriali ſufficit prædicta, quæ fit ante alias. *S. R. C.* 30. *Mart.* 1621.

* Quando autem in Choro dicitur Officium parvum B. M. V. tunc de ea non fit Commemoratio, niſi in illa Eccleſia, cujus S. Maria eſt Titularis, & Patrona *ex Decr. S. R. C.* 10. *Jan.* 1604. *&* 23. *Apr.* 1695. Qua die aliud a S. R. C. Decretum editum fuit, in quo declaratur, quod pro Suffragio B. M. in Eccleſiis eidem dicatis ſub quocumque Titulo, ſive Aſſumptionis, ſive Conceptionis &c. ſufficit conſueta Antiphona *Sancta Maria Succurre &c.* Item non fit Commemoratio de B. M. V. in Suffragiis quandocumque fit Officium de eadem B. M. non enim de eodem fieri debet Officium, & Commemoratio ſimul.

* Poſt Commemorationem de B. M. fit de SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, qui nec in vita, nec in morte, nec in Feſtis, neque in hac communi Commemoratione ſeparantur, *ait Durand. lib.* 5. *cap.* 2.

Commemoratio deinde de Principali Patrono, & Titulari Eccleſiç ante, vel poſt Sanctam Mariam, & Apoſtolos, vel inter eoſdem facienda eſt, illorum Dignitate ſervata; hoc eſt, de Titulo Trinitatis, Spiritus Sancti, & Salvatoris, ante S. Mariam, de Angelis, de S. Joanne Baptiſta, ac de S. Joſepho (ex Decr. enim Benedicti XIII. ejus nomen in Litaniis poſt S. Jo. Baptiſtam, & an-

ante Apoſtolos locum obtinuit), ante Apoſtolos. Et ſi in aliqua Eccleſia Titularis, vel Patronus Apoſtolus aliquis habeatur, ejus Commemoratio non debet præferri Commemorationi SS. Petri, & Pauli, hi enim duo ſunt Apoſtolorum Principes, quibus omnes alii cedunt. De cęteris verò Sanctis Titularibus, & Patronis Veteris, & Novi Teſtamenti, poſt Apoſtolos Commemoratio facienda eſt: & primò quidem de Patrono principali, poſtea de Titulari, niſi ſit valde magna inter hos Dignitatis diſtantia: in Rubricis enim ſemper preponitur Patronus Titulari. Et quamvis, ut *Guyetus* contra *Gavantum* demonſtrat, ex diſpoſitione Rubricę nulla deducatur obligatio faciendi Commemorationem, & de Titulari, & de Patrono loci, ſed unius dumtaxat ſive is ſit Eccleſię Patronus, ſive Titularis: ait enim Rubrica; *Illis adjungitur Commemoratio de Patrono, vel Titulo Eccleſię*: nihilominus quia mos invaluit apud ferè omnes inter Communia Suffragia recenſendi etiam Patronum principalem loci, in quo recitatur Officium, idcirco non eſt recedendum ab hac pia conſuetudine, pro qua ſequens Decretum = Dum dicenda ſunt Suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus, vel pluribus Patronis principalibus, facienda eſt Commemoratio tantum de Patrono principaliori. *S. R. C.* 20. *Nov.* 1683. Verum in iis Eccleſiis, quę plures habent Patronos, ſeu Titulos, poſſet de omnibus fieri Commemoratio, ſi de licentia Majorum omnes in una Antiphona, & in unica Oratione conjungantur. Exemplum nobis exhibet Sacroſancta Lateranenſis Baſilica, quę Commemoratio-

 nem

nem Salvatoris, & utriusque Joannis, qui sunt Titulus respectivè, & Patroni ejusdem primę omnium Cathedralis Ecclesię, hoc modo in sequenti Antiphona, & Oratione comprehendit.

Ad Vesperas, & Laudes Antiphona.

• Salvator Mundi Salva nos omnes hujus Aulę servulos, & Pręcursoris inclyti, Discipulique dilecti devota memoria, vota nostra perducat in Patriam.

Ad Vesp. ℣ Mirabilis Deus. ℟ In Sanctis suis.

Ad Laud. ℣ Salvos fac servos tuos.

℟ Deus meus sperantes in te.

Oremus.

• Omnipotens sempiterne Deus, qui hanc Sacratissimam Constantinianam Basilicam in tuo, & utriusque Joannis Nomine dedicatam, cunctarum Urbis, & Orbis Ecclesiarum decorasti Primatu: concede nobis famulis tuis, ut amborum meritis, & precibus, a nostris reatibus expiati, ad te SALVATOREM nostrum pervenire valeamus. Qui vivis, & regnas &c.

• Quæritur, an in Ecclesia omnium Sanctorum Nomine dicatam fieri debeat Commemoratio de B. V. & de Apostolis; & respondet *Gavantus*, non esse omittenda Suffragia specialia pro generalibus, sicuti infra Octavam Omnium Sanctorum, fit etiam de Sancto Carolo, SS. Vitale, & Agricola, & aliis. Atque idem *Gavantus* assignat locum Commemorationis Omnium Sanctorum post Apostolos, ut fit in Officio parvo B.V. *Protege &c.* de Apost. & postea *Omnes Sancti tui &c.*

• Qui plures habet Beneficiorum, seu Ecclesiarum Titulos, an teneatur totidem facere Commemorationes; Vide *Beneficiati*.

• In Officio Vigilię Patroni, seu Titularis Eccle-

siæ

fię omittenda est ipsius Commemoratio in Suffragiis ad Laudes.

* Ultimo loco in Suffragiis fit Commemoratio de Pace, quia qui pacem dedit, omnia bona uno verbo dedit, *ait Glossa*: & ultimum, quod expectamus a Deo, est pax ęterna, pro qua oramus, & obsecramus Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.

(Completorium, quod Completam vocat *Isidor.* quia, *ex Amalar.* in Completorio summa est perfectio Divinorum Officiorum, atque dies completur servitutis nostrę, ac totum Divinum Officium, ait *Beda*. Omnes conveniunt Auctores, quod Canonicum tempus Completorii erat Hora duodecima jam exacta, post cęnam, immo post Collationem, nempe lectionem aliquam spiritualem, quae apud Monacos cęnam subsequebatur: Immo apud eos eodem loco recitabatur Completorium, quo Collatio hęc, sive lectio fiebat. Atque, ut notat *Amalar.* lectio hęc ideo pręponebatur, quia finito Completorio per preces, dormitum statim ibant. Et congruum quidem est Completorii preces post omnia opera somnum antecedentia locum habere, ut quies, quam sumus capturi, ab omni perturbatione, ac vitio libera sit. Initio enim Completorii Confessio fit, ut quidquid in die commisimus, diluamus, & alterna Confessione mundemur, ait *Hugo in spec. cap.* 3. agens de Completorio. Quatuor dein Psalmi dicuntur, quibus, ait *Amalar.*, quatuor elementa Corporis nostri Domino commendamus. Et quidem in primo Psalmo, qui recitatur in Matutino Sabbati Sancti, cum Christo quietem poscimus, *In pace in idipsum dormiam, & re-*

quiescam. In secundo ad ea verba, quę protulit Christus in extremo vitæ, *In Manus tuas &c.* optamus mori cum eo. In tertio, & quarto, contra tentationes nocturnas armamur. Postea dicitur Hymnus, in quo petimus victoriam de nocturnis illusionibus; & deinde Responsorio brevi quasi signaculo Divinę custodiæ nos sigillamus ut pupillam oculi; *Gemma lib. 2. cap.* 64 Et quia Completorium est commendatio animę quasi migrantis è corpore per somnum; ideo Canticum Simeonis additur, quod maximè congruit *Amal.* quo pacem, & lucem optamus a Deo. *Gemma supra*. Precibus complemus, ad humilitatem in fine diei: cum Oratione Dominica, & Symbolo Fidei ad munimentum ab hostibus nocturnis. *Hugo ibid.* Imploratur denique auxilium B. M. V. in ejus Antiphona, & Oratione de tempore, contra eosdem nocturnos hostes. Dicuntur postea secretò Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum, tum quia iisdem Ritibus finiendum est Officium, quibus est inceptum, tum quia in fine Mundi tempore Antichristi ora Fidelium claudentur, & secretò Deum orabunt, *Durant. lib.* 4. *cap.* 26.

Completorium est ferè semper idem: in Duplicibus tamen, & infra Octavas demuntur preces, quę habentur post Canticum *Nunc dimittis*, & dictà Antiphona *Salva nos*, dicitur Oratio *Visita &c.* Que quidem Oratio in nullo Romano Ordine, vel antiquitatis Ordinario Monastico reperitur. Dicebatur tamen a Monachis cum in Dormitorio fiebat aspersio Aquę Benedictæ, id quod contingebat omni nocte, ut habetur apud Dunstanum *cap.* 1. *Omni nocte post Completorium aspergatur*

Do-

Domus requietionis eorum recumbentibus eis propter illusiones Diabolicas. Non fuit igitur composita hęc Oratio, ut in Choro, vel Ecclesia recitaretur; non enim ibi Angelorum permanentia exposcitur per noctis tempus, ut ibidem nos custodiant, quia in Ecclesia nemo dormire solet; sed talis Oratio a Superiore dicebatur erga suos Monacos in loco requietionis, antequam recumberet, & deinde eis dabatur Benedictio. In Breviario Ambrosiano sequens legitur Oratio in fine Completorii.

* *Illumina quęsumus Domine tenebras nostras, & totius noctis insidias tu a nobis semper repelle propitius, noctem istam illumina, quæsumus, Domine Sancte Pater Omnipotens Æternę Deus, & fac nos famulos tuos sine peccatis obdormire, & virtutibus Angelorum excitari, ut ad diem clarum, te auxiliante, salvi, & protecti pervenire mereamur*.

Concurrentia Officii in Sacris Rubricis intelligitur, quando Officium alicujus diei in secundis Vesperis concurrit, & se quasi commiscet cum primis Vesperis alterius Officii diei sequentis.

Concurrentia hęc duplex est, activa, & passiva. Activa intellitur illa, quę se tenet ex parte secundarum Vesperarum Festi pręcedentis, quod propriè cum sequenti concurrit. Passiva verò Concurrentia est illa, quæ se tenet ex parte primarum Vesperarum Festi sequentis, quod propriè a pręcedenti concurritur. Ita *Guyetus lib. 4. cap. 13. quęst.* 1. Hinc sequitur aliqua Festa posse habere utramque Concurrentiam, illa nempe, quæ habent utrasque Vesperas, qualia sunt Festa Duplicia, & Semiduplicia. Illa verò, quę

habent tantum primas Vesperas , ut sunt Festa Simplicia , possunt habere solam Concurrentiam passivam .

Concurrentia igitur in Vesperis attendenda est , ut vel integræ fiant de alterutro Concurrentium, vel inter utrumque dimidientur . Concurrentia enim omnis aut est majoris cum minore , aut minoris cum majore, aut denique ęqualium inter se . In primo , & secundo casu Vesperę sunt integrę de majore, cum sola Commemoratione minoris; immo nonnumquam etiam sine hujusmodi Commemoratione , prout dignitas major exigit , ut dictum est verb. *Commemorationes* . In tertio autem casu regulariter Vesperæ dimidiantur, adeo ut Psalmi cum Antiphonis sint de Officio pręcedenti ; Capitulum verò cum reliquis fiat de sequenti , & tunc semper cum Commemoratione pręcedentis. Atque ut intelligatur quo ordine Festa quędam cum aliis comparata majora haberi debeant; notandum , quod semper Duplex primę Classis majoritatem habet supra Duplex secundæ Classis : Duplex secundę Classis verò supra quodcumque aliud Duplex per Annum, sive majus, sive minus; Duplex majus, supra Duplex minus; Quodcumque Duplex per Annum , supra Dominicam , Festum Semiduplex , & diem infra Octavam; hæc verò supra Festum Simplex, & Officium B. M. in Sabbato. Quę regula rigorosè adeo servanda est, ut si Festum aliquod Domini, vel B. M. sit Duplex tantum, & concurrat cum Festo secundę Classis Apostoli , aut cujusvis alterius Sancti, Vesperę integrę fieri debent de Sancto , cum Commemoratione Festi Christi

Do-

Domini, aut B. M. quia major personę Dignitas non sufficit in hoc casu, sed solum quando adest ęqualitas gradus, sive Ritus, & Solemnitatis. Festa enim omnia sive SS. Trinitatis, sive Christi Domini, majora præ omnibus aliis ęqualis Ritus habenda sunt. Secundò Festa B. M. prę Sanctis omnibus. Tertiò Angelorum, prę omnibus Sanctis hominibus; non enim recedendum est, ut censet *Guyetus lib.* 4. *cap.* 13. *quęst.* 5. a legitimo Ecclesię usu pręferendi in Concurrentia Sanctos Angelos Sanctis hominibus, etsi juxta opinionem aliquorum, hominum aliqui præstent aliquibus Angelorum. Verum cum non omnibus pręstent, idcirco tenet idem *Guyetus*, Festa Angelorum in ęquali Ritu, præferenda esse etiam Festis Apostolorum, saltem ob communem Angelorum naturę pręstantiam. Quarto Festa S. Joannis Baptistæ, & S. Josephi, Festis Apostolorum præferri debent. Denique Festa Apostolorum, & Evangelistarum (quæ paria habenda sunt, ut constat ex Decretis S. R. C.) cęterorum Festis Sanctorum sunt pręferenda.

Concurrentibus verò Festis secundariis S. Jo. Baptistę, & S. Josephi cum Festis primariis Apostolorum ejusdem Ritus, tunc non sunt pręferenda, nisi celebrentur cum majori Solemnitate, & apparatu, quàm Festa Apostolorum. Concurrente tamen Patrocinio S. Josephi cum S. Marco, & SS. Apostolis Philippo, & Jacobo, Vesperæ non sunt dimidiandę, sed persolvendæ integrę de Patrocinio, attenta Dignitate S. Josephi, *S. R. C.* 11. *Maii* 1743.

* De reliquis Sanctis an alii aliis v.gr. Martyres Confessoribus, Confess. Virginib. sint pręferendi, communis

nis est Rubricistarum Sententia, prędictos Sanctos reputandos esse æquales, quamvis in Litaniis Martyres in diverso, & superiori Ordine ad Confessores, Confessores verò in diverso, & superiori ordine ad Virgines collocentur. Quod a S. R. C. Decreto 20. *Jul.* 1686. & alio 14.. *Dec.* 1709. confirmatum fuit.

* Notandum, quod dies Octavarum Assumptionis, Nativitatis, aliorumque Festivitatum B. M. V. Octavam habentium, concurrentes cum Officio Duplici minori, habere debent integras Vesperas: *ex Decr. S. R. C.* 1. *Maii* 1681.
* Item Concurrente Sancto antiquiori Patrono Civitatis cum alio Sancto recentiori pariter Patrono, nulla habenda est ratio de posteritate Patronatus; unde Vesperę dimidiandę sunt *S. R. C.* 17. *Jun.* 1684.
* Rubrica denique *De Concurrentia Officii* inscripta, quomodo sit ordinandum Officium quando in secundis Vesperis cum alio quovis Officio concurrit, satis apertè demonstrat.

D E

DEdicatio Ecclesię est ipsamet ejus Consecratio facta ab Episcopo: peracta siquidem novę Ecclesię Fabrica, cum primum fieri poterit, debet ab Episcopo Solemni Ritu, qui præscribitur in Pontificali Romano, dedicari, ac consecrari: cujus Dedicationis Festum quia quotannis anniversaria recolitur celebritate, Anniversarius (*dies*) vel Anniversarium (*Festum*) Dedicationis nuncupatur: dies verò ipsa Dedicationis appellatur *Natalis Templi dedicati dies*.

* De Ecclesiæ Dedicatione fit Officium, & omninò idem tam in ipsa die, in qua consecratur, quam

quo-

quotannis in die Anniverſaria Dedicationis, in utroque caſu primę Claſſis cum Octava, ut conſtat ex Breviario; ita tamen, ut in ipſo die Dedicationis dicatur Oratio, *Deus, qui inviſibiliter &c.* in Anniverſario verò dicatur alia *Deus, qui nobis &c.*

Dedicationis Eccleſię Feſtum, ut docet *S. Thom. lect. 5. in cap. Joan.* 10. majus eſt, quam alicujus Sancti, quia in illo recoluntur beneficia toti Eccleſię collata, quę ſuperant beneficia cuivis Sancto donata, quæ in ejuſdem Feſto celebrantur. Ergo (infert *Gavantus ſect.* 3. *cap.* 8. *n.* 7.) erit Octava Dedicationis Eccleſiæ Dignior, quam Octava Patroni loci: ſed hac de re Vide *Octava*.

Dedicatio Eccleſię aliquando transferri debet, quando, ſcilicet oocurrit in aliquo ex Feſtis Solemnioribus. Sed Vide *Translatio Feſtorum*.

* Si autem contingat Dedicarj Eccleſiam in aliquo ex iis Solemnioribus Feſtis, quæ ut dicemus verb. *Translatio Feſtorum*, Dedicationis celebrationem impediunt, tunc, ut docet *Gavantus* S. R. C. Decretis inhęrendo, ne quotannis occurrentia duo Feſta ſe invicem impediant, poteſt Conſecrator decernere alium diem ad Celebrandum Anniverſarium Feſtum Dedicationis Eccleſiæ a ſe conſecratę. Quę permutatio, ut docet *Guyetus*, fieri etiam poſſet, ſi contingeret Eccleſiam Dedicari in aliquibus Feſtis ſecundę Claſſis, quę ſolemniori apparatu celebrari ſolent, qualia ſunt Conceptio, Purificatio, Annunciatio, & Nativitas B. M.. Advertendum tamen, Epiſcopum Eccleſiæ Conſecratorem facultatem hanc mutandi Anniverſarium diem De-

di-

dicationis Ecclesię non habere nisi in ipso Consecrationis actu, quo transacto, non potest Festum ipsum amplius mutare in aliam diem inconsulta Sede Apostolica, ut liquet ex Decr. *S. R. C.* 16. *Oct.* 1604.

* Insuper censet idem *Guyetus* posse mutari a Consecratore prefatum diem Dedicationis etiam ob concursum temporum Adventus, & Quadragesimę, ac consequentium Festorum Natalis Domini, & Paschæ: videlicet, a die 10. vel 11. Mensis Decembris, usque ad Octavam Epiphanię inclusivè, & a medio circiter Februario, usque ad finem Aprilis; quia ex dicto concursu Dedicationis Octava grave dispendium pati posset, quia aliquando non posset ullo modo celebrari, & aliquando saltem abrumpi.

Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis Anniversaria præter propriæ Ecclesię Dedicationem celebrari debet sub Ritu Duplici primæ Classis in Civitate, & in tota Dięcesi; In Civitate quidem cum Octava, in Dięcesi verò sine Octava; *ex Decr. S. R. C.* 2. *Maii* 1619. Regulares quoque in Civitate degentes Anniversariam hanc Cathedralis Dedicationem, non ex congruentia, ut ait *Gavant.* sed ex pręcepto celebrare tenentur *ex Decr. S. R. C.* 1. *Apr.* 1672. *&* 10. *Jan.* 1693. sub Ritu tamen secundę Classis, & sine Octava, ut patet ex iisdem Decretis. Extrà Civitatem verò non tenentur Regulares neque ad recitationem Officii in die Festo; ut patet *ex Decr. S. R. C.* 10. *Jan.* 1693. atque aliis.

* Si concurrant, seu occurrant Dedicationum Festa, vel Octavæ, pro varietate Orationum sumi ea poterit, quę assignata est ipsi diei Dedicationis. *Gavant.* ex dispositione Rubricæ in postrema Breviarii recognitione. De-

Dedicatio Ecclesię Cathedralis, si occurrat eodem die cum Dedicatione alicujus particularis Ecclesię ejusdem Civitatis, tunc juxta Romanę Rotę decisionem, ait *Gavantus*, preferenda est Dedicatio proprię Ecclesiæ Dedicationi Ecclesię Cathedralis: & sicut preferenda est in propria die, sic etiam erit agendum principaliter infra ejus Octavam, cum Commemoratione de Dedicatione Cathedralis per Orationem assignatam ipsi diei Dedicationis, scilicet: *Deus, qui invisibiliter omnia contines &c.* Hinc est, quod Festum Dedicationis Ecclesię particularis in Diœcesi extra Civitatem a fortiori preferendum sit Festo Dedicationis Cathedralis, quia extra Civitatem, ut diximus, Dedicatio Ecclesię Cathedralis celebratur sine Octava, adeoque minori cum Solemnitate. Qua in re notandum occurrit, quod si Anniversarium Dedicationis Cathedralis Ecclesię occurreret in Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ, aut SS. Apostolorum Petri, & Pauli, licet *Haldon* (ex *Gavanto sect.* 3. *cap.* 8. *n.* 7. atq. aliis), animadvertat, Officium celebrandum esse de dicta Dedicatione, translato Festo S. Joannis, aut SS. Petri, & Pauli in diem primam non impeditam, in Diœcesi tamen extra Civitatem, translato Festo Dedicationis Cathedralis Ecclesię in diem proximam Festo IX. Lectionum non impeditam, ipsum Festum S. Joannis Bapt. aut SS. Petri, & Pauli proprio suo die est celebrandum: Solemniori enim Ritu ibi prædictorum SS. Festa (quia cum Octava) celebrantur, quam Festum Dedicationis Ecclesię Cathedralis, quę extra Civitatem Octavam non habet. *Meratus sect.* 7. *cap.* 5. *n.* 15. *in Addit. ad Gav. Comment.* qui

su-

supracitatum *Halden* animadvertisse voluisset, *Gavanti* doctrinam intelligendam esse dumtaxat ubi Festum Dedicationis Cathedralis Ecclesię celebratur sub Ritu Duplici primę Classis cum Octava.

Dedicatio Veteris Ecclesię adhuc stantis, cujus tamen jus Parochiale translatum est ad aliam Ecclesiam de novo, ac loco commodiore ędificatam, ut probat *P. Gobat. tract.* 3. *num.* 696. *Appendice* 3. debet quotannis a Parocho, & suo Clero celebrari Ritu Duplici primę Classis, & cum Octava.

* Et notandum denique, quod attentis Rubricis, & Decretis S. R. C. non potest celebrari Missa, & Officium anniversarię Dedicationis, nisi Ecclesię verè ab Episcopo consecratę, ut sentit idem *Gobat.* citans *Guyetum lib.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 4. contra opinionem *P. Quintanadvennas, & Brunonis Neusser.*

Dominica, prima Hebdomadę dies cur sic dicta; *Vide in Prima hujus Dictionarii Parte.*

Dominicæ alię dicuntur majores, alię minores, sive per Annum. Majores sunt illæ, in quibus præcipua Creationis, & Redemptionis Mysteria recoluntur: nimirum; Dominicę Adventus, & quę occurrunt a Septuagesima, usque ad Dominicam in Albis inclusive; & pręterea Dominica Pentecostes, & Dominica Trinitatis. Dominicę minores, sive per Annum sunt reliquę, quę per totum Anni decursum occurrunt.

Dominicę Majores dividuntur in duas Classes. Dominicę primæ Classis sunt, quę nulli Festo cedunt, & idcircò numquam omittuntur: & sunt, Prima Adventus, Prima Quadragesimę, Passionis, Palmarum, Paschę, in Albis, Pentecostes, & Trinitatis. Do-

Dominicæ secundę Classis sunt illæ, quæ non omittuntur, nisi occurrente Patrono Principali, vel Titulari Ecclesiæ, & ejusdem Dedicatione; in quorum tamen Festorum occursu fit semper Commemoratio in utrisque Vesperis, & Laudibus de his Dominicis secundę Classis, quę sunt: Secunda, Tertia, & Quarta Adventus, Septuagesimę, Sexagesimę, & Quinquagesimę, & Secunda, Tertia, & Quarta Quadragesimę. Sed Vide, quę diximus in Prima Parte verb. *Dominica*.

Dominicę infra Octavas Nativitatis, Epiphanię, Ascensionis, & Corporis Christi sunt privilegiatæ; ita ut Officium non sit Dominicale, sed de Octava, & de Domino tamen. Ratio est, *ex Microl.* ut Officium instanti celebritati concordet; hoc est summæ celebritati Domini: nam in Dominicis aliis infra Octavas Sanctorum, non est ęquum, ut Officium Dominicale, quod Domini est, cedat Officio Sancti, cujus diem infra Octavam celebratur.

Dominicę vacantes dicuntur illæ, de quibus nihil omnino fit in Officio currentis diei, uti contingit quando Festum *Nativitatis*, aut *Circumcisionis*, aut *Epiphanię Domini*, vel Festa, aut Octavę *S. Stephani*, vel *Joannis Apostoli*, aut *Innocentium Mm.* vel denique *Vigilia Epiphanię* in Dominicam incidunt. Tunc enim quia in Officio ejusmodi Festorum, vel dierum, *de Dominica*, in qua occurruut nihil fit, ne quidem Commemoratio, ideò Dominica illa eo Anno vacare dicitur. Incongruum enim esset, ut optimè observat *Gavantus sect. 3. cap. 5. n. 4.* si occurreret Festum *Nativitatis*, vel *Circumcisionis*, vel *Epiphaniæ* in Dominica, quod una si-

simul cum Festo Domini fieret Commemoratio eodie de Festo ejusdem Domini, quod est Dominica: Atque in gratiam *Nativitatis Domini*, & *Circumcisionis* fuit ordinatum, quod nec in tribus Festis, & Octavis diebus *S. Stephani*, *S. Joannis*, & *SS. Innocentium* haberetur ratio Dominicæ occurrentis: de qua tamen infra Octavam, tamquam de Dominica impedita, fit Officium post Festum *S. Thomę*, vel in Festo *S. Thomę*, hoc eodem translato in Feriam sequentem, & ita congruit Evangelium, quod legitur ratione Dominicę, legi post natum Christum, non eodem veluti nascente per quandam repręsentationem. Eadem ratio militat in Vigilia, & in die *Epiphaniæ*, in quibus, si occurrit Dominica, ea vacat, neque habet Evangelium, quod tempori conveniat, neque consequenter Commemorationem: immò neque ex textu Evangelico decerpi potuit, quod legeretur convenienter in Dominicis occurrentibus intra hæc Festa, ut rite consideranti patet, (Evangelium autem est caput totius Officii, ait *Rupert. lib.* 1. *cap.* 37.) & ea, quę leguntur in Dominica infra Octavam *Nativitatis*, & in Vigilia *Epiphanię* anticipatè leguntur, cum ea contigerint post Purificationem B. M. V. ut patet in textu Evangelico *S. Lucę*, & *Matthęi*.

Dominicę post Epiphaniam, scilicet; Tertia, Quarta, Quinta, & Sexta, cum non semper de iis fieri possit Officium ante Septuagesimam, sed transferendę aliquando sint longè post Pentecosten, nempe post Dominicam XXIII. ideò *Vagę* dicuntur; habentque alium *Introitum*, aliud *Offertorium*, & aliam *Communionem*, si suppleantur post Pen-

Pentecosten, quàm habeant, si celebrentur statim post Epiphaniam.

* Quod si aliqua supersit Dominica, ita ut propriè in die Dominico locum non habeat, quod accidere potest in Officio secundę Dominicę (de qua tamen habetur propria Rubrica post Octavam Epiphanię) vel sequentium post Epiphaniam, & in Officio Dominicę XXIII. post Pentecosten: tunc fit de dicta Dominica in Sabbato pręcedente, dummodo illud non sit impeditum Festo novem Lectionum, etiam translato, & etiam Festo novem Lectionum ad libitum, non tamen Officio Votivo, ut de SS. Sacramento, Immaculata Conceptione, & similibus: alioquin Officium de dicta Dominica ponitur in alia immediate præcedenti Feria, seu Festo Simplici. Sive autem in Sabbato, sive in alia Feria de ipsa Dominica fiat, dicitur Nocturnum Ferię, & leguntur tres Lectiones dę Homilia Dominicę, & in Laudibus dicitur Antiphona ad Benedictus, & Oratio de Dominica currente proprio loco. Et Notandum, quod Sabbato, aut Feria Sexta, aut Quinta impeditis aliquo Festo Simplici, non erit ponendum dictum Officium Dominicæ anticipatę Feria Quarta, aut Tertia, in quibus nullum fortasse occurrit Festum Simplex: Festum enim solummodo novem Lectionum Officium impedit prędictę Dominicæ: & curandum, ut propius ad Sabbatum de ea Dominica Officium fiat, cum Commemoratione Festi Simplicis, si occurrat. Quod si tota Hebdomada sit impedita Festis novem Lectionum, tunc in Sabbato legetur nona Lectio de Homilia ipsius Dominicę, & de eadem fiet

Commemoratio in Laudibus cum Antiphona, & Oratione propria, ut prçscribitur *in Rubrica de Dominicis*.

Quando Epiphania cadit in Dominica, Officium Dominicæ primç post Epiphaniam, quæ est dies Octava, fit pariter in Sabbato prçcedente ipsam Octavam diem; Sed quçritur cur in ipsamet die Octava, quæ occurrit in Dominica, non fit de Octava Epiphaniæ cum Commemoratione Dominicæ primç post Epiphaniam ut in Duplicibus per Annum occurrentibus in Dominica? Causam affert *Gavantus sect. 6. cap. 7. n.* 8. ne, scilicet, ordine perverso vitç Christi, quç ab Ecclesia reprçsentatur in Officio Divino per totum Annum, Christus legatur trigesimum Annum agens, antequam repræsentetur Annorum duodecim. Nam si in die Octava, quç habet Evangelium de Baptismo Christi, fieret Commeratio de Dominica prima post Epiphaniam, quç habet Evangelium de Christo duodenne inter Doctores Dei causam agente, tam in Officio, quam in Missa legeretur prius Evangelium de die Octava, quod Christum reprçsentat Annorum triginta, quàm de Dominica, in quo idem Christus legitur Annorum duodecim. Fiat ergo Officium de Dominica in Sabbato, in qua Christus est duodennis; deinde sequenti die fiat de die Octava, in qua est tricenarius, & ordo servabitur historicis vitç Christi: qui Ritus habetur in Breviario M. S. Anno 1300. Perusinæ Sacristiç. Quod si in Sabbatum prædictum incidat Patronus loci, seu Titularis, vel Dedicatio Ecclesiç, non est anticipandum Officium prędictę Dominicæ Feria Sexta, sed in i-

ipso Sabbato fiat Commemoratio de dicta Dominica, cum ejus Homilia pro nona Lectione. *Gavant. supra*.

Dominicę post Pentecosten ad summum erunt XXVIII. & ad minimum XXIII. Si tantum XXIII. vigesima tertia anticipatur in Sabbato pręcedente, ut supra dictum est. Si autem plures sint, quam XXIV. post vigesimam tertiam ponuntur quę superfuerunt post Epiphaniam ita, ut ultima semper sit, quę Vigesima quarta in Ordine ponitur. Finiuntur enim, ut notat *Azor. lib.* 10. *cap.* 15. Ecclesiastica Officia cum Commemoratione extremi futuri Judicii, sicut etiam simimiliter inchoantur, ut patet legenti Evangelia Dominicę XXIV. & Dominicę primæ Adventus. Addit *Gavantus sect.* 3. *cap.* 5. *n.* 8. ideo Dominicam XXIV. de Judicio futuro, semper esse ultimam Anni Ecclesiastici, qui incipit in Adventu; quia Ecclesia in toto Anni curriculo repræsentare studet Christi actiones a primo adventu in carne, usque ad secundum in fine Mundi adventum.

Dominica prima Mensium habet rationem potissimam in Breviario, quia in ea solent poni initia Sacrorum Librorum, cum suis Responsoriis. Ea igitur prima esse dicitur, quæ venit in Kalendis, vel quę est proximior Kalendis sive ante, sive post, ut patet ex Rubrica Breviarii. Quod idem pariter dicendum est de prima Dominica Adventus respectu Festi S. Andreę, nimirum quod sit illa, quę vel cadit in ipsum Festum, vel quę est ipso Festo proximior.

Pro ordinando Officio Dominicali videatur Rubrica Breviarii *De Dominica* inscripta *n.* 8. No-

tandum tamen, quod Dominicæ majores primæ, vel secundæ Classis non sequuntur Ritum duplicium primę, vel secundę Classis, nam Ritus earum non est nisi Semiduplex, exceptis Dominicis Paschę, in Albis, Pentecostes, & Trinitatis. Ritus porrò Dominicarum Paschæ, & Pentecostes cum duobus sequentibus diebus est ad instar Festorum primę Classis: Dominica in Albis est Duplex ad instar majoris quo ad Ritum celebrandi Officium, sed primæ Classis quoad exclusionem aliorum Festorum; Ritus verò in Dominica SS. Trinitatis est secundę Classis: Quę quidem Dominica in Tabula Festorum recensetur inter Dominicas primæ Classis, unde excludit quodcumque Festum etiam primę Classis, sed celebratur Festum SS. Trinitatis sub Ritu Duplici secundæ Classis, nisi in aliqua Ecclesia sit Titulus, tunc enim celebrari debet sub Ritu primæ Classis cum Octava.

Duplex Officium dicitur *ex Durand.* quando Antiphonę duplicantur, hoc est integras recitantur ante, & post Psalmos. *Guyetus* autem Duplicis rationem, ait, rectius deduci, ex quo Duplex duas olim, ut & hodie, haberet Vesperas: pridie videlicet, & ipso die Festi; Simplex verò unas dumtaxat, nempe primas. Duplex *a Durando* dividitur in Duplex in totum, & in Duplex simpliciter; sed in recognitione Clementina Breviarii ad majorem distinctionem instituta sunt quatuor genera Duplicium Festorum; primum, quod dicitur Primæ Classis; alterum secundæ Classis; tertium, quod appellatur majus; quartum, minus per Annum.

Duplicia Primę Classis in Ecclesia universali sunt: Nati-

tivitas Domini, Epiphania, Pascha Resurrectionis cum tribus præcedentibus, & duobus sequentibus diebus, Ascensio Domini, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Festum Corporis Christi, *ex Decr. Urbani IV.* Nativitas S. Joannis Baptistę, Festum SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptio Beatę Virginis, Festum Omnium Sanctorum, Dedicatio proprię Ecclesię, Festum Patroni, vel Titularis Ecclesię.

Duplicia secundę Classis in Ecclesia universali sunt: Circumcisio Domini, Festum SS. Trinitatis, Sanctissimi Nominis Jesu, Purificatio, Annunciatio, Nativitas, & Conceptio Beatę Virginis, Natalitia duodecim Apostolorum, hoc est de numero duodecim, Festa Evangelistarum, Inventio S. Crucis [quod Festum additum fuit huic Classi a Clemente VIII.] Festum S. Joseph, a Clemente X. huic Classi novissimè additum, Festum S. Laurentii, Dedicatio S Michaelis Archangeli, Festum S. Stephani, & SS. Innocentium.

Duplicia majora per Annum, quę, ut diximus verb. *Commemoratio*, integras habent Vesperas in concursu cum aliis Duplicibus minoribus per Annum hęc sunt: Transfiguratio Domini, Exaltatio S. Crucis, Festum S. Marię ad Nives, Visitatio, & Pręsentatio B. M. V. quibus addi nunc debent etiam Festum-Dolorum B. M. V. Festum SS. Nominis ejusdem, Festum B. M. de Monte Carmelo, Festum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, & Festum SS. Rosarii ejusdem B. M. V. Item inter Duplicia majora recensentur Apparitio Sancti Michaelis Archangeli, Cathedra S Petri utraque, Festum ejusdem ad Vincula, Conversio S. Pauli, Festum S. Joan-

nis ante Portam Latinam, S. Barnabę Apostoli, ac denique Patroni locorum minus principales, nisi sint in Kalendario Romano altioris Classis.

* Octava item Epiphanię, Paschatis, Ascensionis, Corporis Christi, aliorumque Domini Festorum, licet revera non sint Duplicia majora, in concurrentia tamen sunt ad instar Duplicium majorum.

Duplicia autem minora per Annum Festa omnia sunt, quibus in Kalendario additur hęc vox: *Duplex*.

Litera E *vacat*.

F E

FEriæ aliæ sunt majores, alię minores. Sed Vide *Rubricam de Feria*. Quæ autem sint Ferię majores, & quando de iis fieri debeat Commemoratio, dictum est jam verb. *Commemoratio*. Sed notandum quod Ferię majores subdividuntur in privilegiatas, & non privilegiatas. Privilegiatę sunt, quę nulli alteri Officio, aut Festo cedunt, & sunt sequentes; nempè: Feria IV. Cinerum, Feriæ omnes majoris Hebdomadę, atque item Ferię omnes infra Octavam tam Paschę, quàm Pentecostes. Nam & dies infra utramque hanc Octavam occurrentes ab ipso Breviario Romano, non tantum in proprio de tempore, sed etiam in Rubrica *de Feriis n.* 4. Ferię appellantur. Hę igitur omnes Feriæ privilegiatæ excludunt quodcumque aliud Officium, ac Festum in iis occurrens, etiam primę Classis,

Festa si transferenda sint, Vide *Translatio Festorum*, ubi dubia quædam in nonnullorum particularium Festorum Translatione occurrentia explicantur.

Festa ad libitum quando sunt impedita Dominico, vel

vel aliquo die Festorum mobilium non sunt transferenda, *ex Decr. S. R. C.* 20. *Dec.* 1673. approbante etiam Clem. X. Summo Pontifice. Ex quo quidem Decreto, quia Auctores Festa ad libitum transferri posse aliquando arbitrati sunt, si incidant in Festis Sanctorum; eadem S. R. C. approbante Innocentio *XI. die* 24. *Jan.* 1682. Clementis X. dispositionem de non transferendis Festis ad libitum, sed de iis penitus omittendis, extendit etiam ad Octavas, & Natalitia Sanctorum ex Indulto Apostolico in aliqua Religione, vel Diœcesi de præcepto celebranda; ita ut Festa ad libitum intra, aut intra aliquam Octavam, aut in Festo aliquo universali, vel particulari alicujus Diœcesis, vel Ordinis occurrentia, nec die illo celebrari, nec etiam transferri amplius [secluso speciali indulto] possint, sed omnino omitti debeant. In quo Decreto etiam additur, quod si Festa ad libitum occurrant eo die, in quo aliàs aliquod Festum translatum poni deberet, tum liberum fore eadem Officia ad libitum recitare, & Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre: Ita etiam omisso Officio, quod semel per Hebdomadam, aut per Mensem ex Apostolico indulto recitari concessum est, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari posse ibidem declaratur. E contra verò occurrente Officio proprio Ordinis eodem die cum Officio Duplici ad libitum, *ex Decr. S. R. C.* 2. *Dec.* 1684. non licet transferre Officium Ordinis, causa faciendi Duplex illud ad libitum.

* Notandum autem quod adsunt aliquando speciales declarationes, & respectivè concessiones ab

Apoſtolica Sede peculiariter factæ vel recitandi talia Officia ad libitum etiam in die impedito, ut *ex Decr.* 20. *Oct.* 1683. Unde Officia ad libitum cum hujuſmodi declarationibus ſemel conceſſa, non comprehenduntur inter alia ad libitum, quę transferri non debent.

G E

GEnuflexio ad quæ exhibenda ſit in privata, & ſolemni, ſeu publica Horarum Canonicarum recitatione: Vide *Horæ Canonicæ*.

Gloria Patri &c. Morem hujuſmodi hymnum glorificationis decantandi Damaſum Papam, ſuadente S. Hieronymo, in Occidentem ad Orientalium imitationem invexiſſe aſſerit, *Walfrid. Strabo cap.* 5. *de Reb. Eccleſiaſt.* cujus ſententiæ adhærent nonnulli, ſed decipiuntur: nam ex S. Hieronymi Epiſtola id colligunt, in cujus calce, in Conciliis Colonię editis ex Baronio notatum eſt, quod ab eruditis Hieronymi res accuratius expendentibus; ea tamquam adulterina, ac planè commentitia exploditur. Certiſſimum autem eſt, prędictum glorificationis hymnum ad nos Apoſtolica traditione manaſſe; ideoque *Card. Bona de Divin. Pſalmod. cap.* 16. §. 6. ait: certiſſimum eſt, quod Hymnus glorificationis ab Apoſtolis compoſitus, a Patribus Nicęnis auctus, ab univerſa Eccleſia receptus, omni reverentia debet cantari. Et quod dicit a Patribus Nicęnis auctus, intelligendum eſſe monet idem *Bona* de ſola illa appendicę, *Sicut erat &c.* quę addita fuit ad oſtruendum ſacrilegum os Arianorum iniqua loquentium, & aſſerentium fuiſſe tempus, cum Filius non erat cum Patre. Qui quidem Ariani verbis Hymni prædicti ad ſuæ hæreſeos patroci-

nium abutentes, ita dicebant: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: ut colligitur *ex Theodoreto lib.* 1. *Hist. Eccl. cap.* 24.

* Antiquissimus fuit Ecclesiȩ mos decantandi in Templo ad finem diei *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* : quam glorificationem Græci *Doxologiam minorem* appellarunt, ad differentiam hymni Angelici *Gloria in excelsis Deo*, quem *Doxologiam majorem* dixerunt: *Doxologia* enim ex duobus Grȩcis vocabulis conficitur, *Doxan*, scilicet, quod Latinè *Gloriam* sonat, & *Logos*, quod sermo latinè redditur : adeoque *Doxologia* interpretari potest Hymnus, in quo Dei Gloria verbis exprimitur. Postquam autem Ariana pestis grassari cȩpit, Ecclesia Catholica diligentius prȩdictum Ritum dicendi *Gloria Patri &c.* servavit. Et additur in fine *Amen*, ad significandum Ecclesiȩ desiderium, ut gloria scilicet a se Trinitati data, eam reipsa glorificet: verbum enim *Amen* Hebrȩum est, quod significat *ita est*, vel *ita fit*. Frequentissimè, ut patet in Officio Divino dicitur *Gloria Patri*, in fine Psalmorum, in Responsoriis &c. sed quando de Psalmis, & Responsoriis agemus, ratio reddetur cur *Gloria Patri &c.* aliquando dicendum, aliquando verò non, juxta Temporum varietates.

H O

HOmilia Græca vox, quȩ Latinè sonat *Sermonem, & Colloquium*: est explanatio Evangelii ab aliquo Patre tradita, quȩ pro tertio Nocturno in Officio legitur; & quadrat ad repræsentandum tempus Gratiæ, & Evangelii post eos, qui ante legem, & sub lege fuerunt *Durand. lib.* 5. *cap.* 2. Sed notandum, quod priscis tempori-

ribus ad tertium Nocturnum Lectiones ex novo quidem Testamento desumptę legebantur, sicut etiam usque modo leguntur tribus diebus ante Pascha, non verò legebatur Evangelium, quia hoc Missę Lectioni destinatum erat. A Sęculo autem VII. ut ex Codice Homiliarum Caroli Magni jussu a Paulo Diacono edito, ac limato *Meratus* deducit, Ritus in Ecclesia invectus fuit legendi Evangelii diei currentis initium tantum, ad nimiam Officii longitudinem evitandam, & deinde Homiliam, sive cujusdam Patris ejusdem Evangelii explanationem; ut quemadmodum pro Lectione secundi Nocturni explicatio alicujus Patris Lectionis in primo Nocturno dictę, atquę ex veteri Testamento depromptę legebatur: Ita etiam tertii Nocturni Lectiones explicationem quamdam Evangelii ab aliquo Patre traditam complecterentur.

Homilia Dominicę, vel Ferię majoris, quę proprium habet Evangelium, legitur pro nona Lectione quando hujusmodi Dominica, vel Feria occurrit in Festo aliquo Duplici. Sicut enim in Missa pro Commemoratione Dominicę, vel dictę Ferię Populo legitur Evangelium in fine Missę, ne sit Evangelium aliquod in Missali, quod non aliquando legatur Populo, ita convenit, ut in Choro exponatur illud idem Evangelium per Homiliam in fine Officii Matutini, in quo paulò ante per aliam Homiliam declaratum est Evangelium principale Festi, & Officii.

* De Sanctis Simplicibus, qui propriam Lectionem habent (non autem appropriatam de Communi) de vita, & gestis ipsorum, convenit etiam ut legatur ad instructionem Cleri, quę erit no-

nona, si una est, vel de duabus fiat una, quam congruentissimè sequitur laus Divina per Hymnum *Te Deum*. Verum si duæ Commemorationes concurrant in eodem Officio, scilicet Dominicę, vel Ferię majoris, quę habet Homiliam, & Simplicis Festi, quod habet propriam Lectionem, tunc omittenda est Lectio de Sancto illo Simplici, ut legatur Homilia, quia Dominica, & Feria major digniores sunt Festo Simplici. Immo, & omittitur Lectio de Sancto Simplici quando in Feriali Officio Ferię majoris tres tantum leguntur Lectiones, quia non dicitur *Te Deum*, sed tertium Responsorium, quod non respondet Festo Simplici, sed Feriali Officio. Omittitur tandem intra Octavas Paschæ, & Pentecostes, quando in iis occurrit Festum Simplex, quia parum legitur de Solemniori Festo, quod non videtur minuendum, dempta illius tertia Lectione, pro Lectione de Sanctis.

* De die infra Octavam non legitur nona Lectio, licet habeat in Breviario, & Octavario Homiliam qualibet die; quia Evangelium lectum est in die Festo; Immo neque si habeat Evangelium diversum ab Evangelio Festi, quod accidit infra Octavam Apostolorum Petri, & Pauli. Neque legitur in fine Missę, licet de Octava fiat in Missa Commemoratio.

Horę Canonicę: Officium Divinum sic dictum est sive ab orando Deum, vel probabilius, quia definitis Horis ex instituto Ecclesiæ recitatur. Dicuntur autem *Canonicę* a Greca voce *Canon*, quę Regulam significat, adeoque Horę Regulares dici possunt.

Horas orandi Apostoli ab Hebręis accepere, & Ho-

Hora Tertia erant orantes in Pentecostes *Act.* 2. *Hora* Sexta Petrus orabat. *Act.* 10. ad *Horam* Nonam ascenderunt in Templum Petrus, & Joannes. *Act.* 3. Media nocte orabant Paulus, & Silas. *Act.* 16. quare easdem *Horas* prescripsere Fidelibus. *Ex Clement. lib.* 8. *Const. Cap.* 40.

Horæ Canonicę septem sunt: Matutinum, scilicet, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperę, & Completorium, ita in *Conc. Cabillon.* 2. *Canon.* 59. juxta illud Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*. Sunt qui volunt esse octo, & dividunt Laudes a Matutino, & deducunt ab *Esdra lib.* 2. *cap.* 9 qui quater in nocte, & quater in die jussit laudari Deum. Numerus verò septenarius non caret Mysteriis. Et primò respectu Creationis, ut agamus Deo gratias pro rebus creatis in septem diebus. *Cassianus de Institut. Non. lib.* 3. *cap.* 3. Secundò Redemptionis nostrę Mysteria his Horis operata fuere: nam media noctę natus est Christus, & resurrexit. Hora Prima ductus ad Pilatum. Tertia linguis Judeorum in Crucem actus, flagellis cæsus, spinis coronatus. Sexta verò Cruci affixus. Nona expiravit, & ad Inferos descendit. Vespertina de Cruce depositus est: eadem hora cęnavit, pedes lavit, Eucharistiam confecit. Hora Completorii oravit in Horto. *Hęc ex Gavant. sect.* 1. *cap.* 3. *n.* 5. Tertio respectu nostri, septies in die cadit justus (*Prov.* 24.) & nos septies orando resurgimus, *Gavant. supra*. Quarto numerus universitatis est septenarius, *ex S. Greg. Pap.* & in multis a SS. Patribus commendatur. Insuper in unaquaque Hora septem particulę numerantur *a Rupert. lib.* 1. *de Div. Off. cap.* 2. hoc

hoc est: Deus in adjutorium, Hymnus, Psalmi, Antiphona, Capitulum, Responsorium breve, & Oratio completiva. In Laudibus autem, Vesperis, & Completorio adduntur Cantica Evangelica, adeòque octo in iis partes numerantur: Cantica enim illa spectant ad Beatitudinem, ut dictum est ad verb. *Canticum*.

Horarum Ordo si quis sine justa causa pervertit, peccat venialiter; justa verò causa est, oblivio, inadvertentia, ut Chorus juvetur, vel aliis ad dicendum Officium. *Azor. cap.* 10. *quæst.* 1. *ex Navar. cap.* 3. *n.* 65. Qui dividit Matutinum a Laudibus nocte tota interposita non peccat *DD. apud Bonac. disp.* 1. *qu.* 3. *punc.* 3. *n.* 11. Qui dividit Nocturnum a Nocturno per horam unam, pluresve justa de causa, non ultrà tres horas, non peccat. *DD. apud Bonac. loc. cit. n.* 13. Qui dividit Horam parvam, vel Psalmum ex causa non peccat *Azor. qu.* 5. Qui autem sine justa causa, sed per solam negligentiam, licet absque contemptu omittit Horam integram Divini Officii, peccat lethaliter. *Navar. cap.* 7. *n.* 1. Idem dicendum censet idem *Navar.* de eo, qui omittit Horę partem notabilem, quam *ex S. Antonino* docet idem *Navar.* esse tertiam Horę partem. Verùm mitior tenenda videtur *Lessii*, & *Bonac.* sententia, qui censent Horam parvam integram tantum esse materiam peccati mortalis, & infra eam esse ita modicam quamcumque partem, ut Ecclesia non credatur ob eam facere velle reos ignis æterni.

Horę Canonicę olim horis diei pro unaquaque determinatis recitabantur. Dividebatur enim dies artificialis, ab Ortu, nempè, ad Occasum Solis, in

in quatuor partes ęquales, quarum unaquęque tribus constabat horis modo brevibus, modo longioribus, pro Anni temporum diversitate, quibus Sol majus, minusvè Emisspherii peragrandi spatium obtineret. Oratio autem, quę in fine ultimę horæ cujuscumque partis fiebat, ab ea sumpsit denominationem: ita ut prima Orationis pars, quæ in tertia diei hora finiebatur, *Tertia* dicebatur: secunda pars, quę in Sexta, *Sexta*; tertia, quę in Nona, *Nona*: Quarta, & postrema, quæ in Vespere, seu hora duodecima, *Vespera*, seu duodecima appellaretur. Hinc est quod Horę Canonicæ diurnę, quę in Officio Divino recitantur, a prędictis quatuor diei partibus adhuc denominantur. Ex quibus tamen quatuor partibus, duæ postmodum particulę fuerunt separatę, prima scilicet, & ultima diei hora, pro *Prima* hora Canonica, quæ statim ab Ortu Solis, & pro Completorio, quę in hora duodecima, seu in Solis Occasu, celebrantur.

Horæ Canonicę dum recitantur, modo standum, modo genuflectendum, modo inclinandum est. Standum est enim ad Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, quia sunt de textu Evangelico; ad Symbolum item Apostolorum, ut ad Fidei Confessionem promptiores videamur. Item ad Horarum initia, quibus adjutorium Divinum imploramus, & laudem Deo trino tribuimus: Ad Invitatorium, ne segnes videamur, dum alios invitamus: ad Hymnos, qui sunt laudes Dei Solemniores, inter quos *Te Deum* quoque numerandum est: ad versus quosque Nocturnorum, & post Hymnos, quia iis convertimur, & excitamur in Deum: ad textum Evangelii ante Ho-

Homiliam, quod per se patet; ad Absolutiones, & Benedictiones ante Lectiones; ad Capitula, quæ sunt breves exortationes majorum; ad Cantica *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*, quę vocantur Evangelica, ad Orationes denique omnes, quibus immediatè Deum alloquimur (excepto triduo majoris hębdomadę) & ad preces, quę precedunt. Standum est item tempore Paschali, & in omnibus Dominicis a primis earum Vesperis ad Antiphonas B. V. quæ dicuntut in fine Officii.

* Genuflectendum autem erit ad ea verba Invitatorii, *Adoremus, & procidamus &c. ex Cęr. Ep. lib. 2. cap. 6.* Item ad Preces Feriales in Laudibus, Vesperis, & Horis, in diebus nimirum pęnitentię dicatis. Item ad preces in Officio Defunctorum, majoris męroris gratia. Item in Hymnis *Veni Creator Spiritus*, & *Ave Maris Stella* per totam Strophem genuflectitur, parique modo ad Strophem *O Crux ave spes unica &c.* & *Tantum ergo Sacramentum &c.* si coram Sacramento (etiam Tabernaculo incluso) dicatur: & laudabiliter coram Sacramento ad ea: *O Salutaris Hostia &c.* In hymno pariter *Te Deum*, genuflectitur ad versum *Te ergo quęsumus &c. ex Cęrem. li.b 2. cap. 5. & 6.* Dum recitantur Horę Canonicę si elevetur in aliquo Altari SS. Sacramentum, [quę Elevatio sive ex Altaris ipsius positione in Chori conspectu, sive ex incauta Campanulę pulsatione advertatur] omnes in Choro existentes semper debent genuflectere. *S. R. C. 2. Maii 1620. & 1. Mart. 1681. de Processionibus per Ecclesiam.* Denique genuflectendum est ad Antiphonas B. V. quę dicuntur in fine Officii, & ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum,

quæ

quæ dicuntur in fine Completorii exceptis Dominicis, & tempore Paſchali, ut ſupra dictum eſt.)

* In Pſalmis Gradualibus quæcumque Preces dicuntur flexis genibus ad mẹrorem, & luctum indicandum: multoquè magis hæc genuflexio congruit Pẹnitentialibus Pſalmis, Litaniis, & Orationibus (quẹ tamen Orationes a ſtante Hebdomadario dicuntur) ut præſcriptum eſt in fine Breviarii.

* Ad alias autem Horarum Canonicarum Partes, veluti ad Lectiones, ad Reſponſoria, ad Martyrologium, ad Pſalmos, non incongruè ſedetur. Ad Symbolum autem S. Athanaſii alii ſtant, alii ſedent; ſed laudabilius recitatur ſtando; *ex Decr. S. R. C.* 23. *Dec.* 1624.

* Inclinandum eſt prẹterea ad verſum *Gloria Patri &c. Sit nomen Domini Benedictum: Sanctum, & terribile nomen ejus*: ac præterea, ut placet multis, ad verſus *Benedictus Dominus die quotidie*; *Benedictum nomen majeſtatis*; *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus*. Item in Completorio (ſed locorum conſuetudini ſtandum erit) ad verſ. *Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum*; *Benedicamus Patrem &c. Benedictus es Domine in firmamento Cẹli*. Ad verſus omnes prẹdictos inclinandum eſt inclinatione minimarum maxima, de qua in Prima Dictionarii Parte verb. *Inclinatio*. Quẹ eadem inclinatio facienda eſt ad nomen Jeſu. Ad nomen autem Mariæ inclinatio facienda eſt minimarum media, & ad nomen Sancti, de quo Officium recitatur minimarum minima. Ad *Confiteor* àutem, quod in Prima, & & ante Completorium dicitur, uſque ad *Miſere-*

reatur inclusivè, ab eo qui dicit, & cui dicitur respectivè inclinandum est, ut in Missa.

• Signum Crucis adhiberi debet pollice sibi signando os, quando dicitur initio Matutini: *Domine labia mea aperies*, ex Rubr. Brev. *De Matutino tit.* 13. *n.* 1. Item manu extensa signando se a fronte ad pectus, & a sinistro humero usque ad dexterum, cum dicitur: *Deus in adjutorium &c. Adjutorium nostrum &c.* ante Confessionem in Prima, & Completorio. Item ad *Indulgentiam*, atque ad ea in fine Primæ: *Dominus nos benedicat &c.* & in fine Completorii, dicto *Benedicat*, *& Custodiat nos Omnipotens*, *& misericors Dominus*, dum dicitur: *Pater*, *& Filius*, *& Spiritus Sanctus*, idem Crucis signum debet exhiberi. Laudabile quoque est signum Crucis fieri ad Antiphonam de Cruce in Officio feriali, & ad versum: *Converte nos Deus*, initio Completorii cum pollice in pectore.

Hymni, quo Ritu in Divino Officio dicendi sint patet ex Rubrica XX. *De Hymnis* inscripta; atque ex Breviario ipso propriis locis. *Hymnus* autem Greca vox est, quę *Laudem Dei* Latinè significat; Ideoque ab Augustino definitur *Cantus cum laude Dei*. Sed advertendum, quod Cantus ille debet esse metricus, alioquin Hymnus nuncupari non posset. *Hinc* liber Psalmorum, *Hymnorum liber* Hebraicè inscribitur, & David qui præcipuę saltem ejus libri partis est Auctor, Hymnographus antonomasticè a Philone *Lib. de Mundo cap.* 9. appellatur: Cantica enim continet liber ille in Dei laudem metricè scripta, quamvis in versionibus ex Hebręo, in Gręcam & Latinam Linguam metrum ipsum servatum

haud sit. Advertit tamen *Guyetus lib.* 3. *cap.* 5. quod Hymni, qui in nostris Breviariis sub hymnorum titulo habentur, a Psalmis ea ratione discrepant, quod Psalmus Dei Laudes generatim metricè prosequatur, seu quatenus ejus gloria in opere Creationis, vel in mirabilibus legis antiquę effulget: Hymnus vero noster speciatim, seu quatenus ipsius Magnalią nobis in Mysterio, seu Sancto, qui colitur referantur: quapropter perfecta erit Hymni nostri definitio, quod sit: *Cantus metricus continens Laudem Dei propriam diei, vel Festi, quod celebratur.*

*Hy*mnorum usum esse Apostolicum inventum, immò a Christo deduci posse docet *Gavantus Sect.* 5. *cap.* 6. *n.* 2. Et revera S. Augustinus *Epist.* 119. *Vet. Edit.* & post ipsum Concilium Toletanum IV. *Can.* 3. asserunt, quod de *Hy*mnis in Ecclesia canendis, & ipsius Domini, & Apostolorum habemus documenta, & exempla, & pręcepta: de ipso enim Christo, sicut & de Apostolis referunt Evangelistę *Matthęus*, & *Marcus*, quod Hymno dicto, exierunt in Montem Oliveti.

*Hy*mnorum origo, quoad metrum, antiquior est omni memoria, cum compertum sit apud omnes, non modo ab Hebręis verum Numen, sed & ab Ethnicis inanes ipsorum Deos *Hy*mnis fuisse celebratos. Et immeritò Gręci primam sibi *Hy*mnorum inventionem attribuunt, cum apud *Hebræos* Moyses, aliique Vates Hymnos Deo cantaverint, ut ex Sacris Literis patet, idque multis ante Sęculis, quàm Poetæ in Gręcia florerent.

*Hy*mnorum usum in Horis Canonicis vetat Concilium Bra-

Bracarense primum Ann. 553. *Canon.* 32. jubetque, ne publicis precibus inserantur, nisi hymni illi, qui ex Scripturis desumpti sunt. Jubet pariter eadem Synodus (ut poetica omnia, & quęcumque humana elucubratio excludantur) *Ut extrà Psalmos, vel Canonicarum Scripturarum Veteris, & Novi Testamenti, nihil poeticè compositum in Ecclesia Psallatur, sicut, & Sancti præcipiunt Canones*. Verum Sęculo sequenti Concilium Toletanum IV. *H*ymnos cani in Ecclesia concessit, dummodo ab Auctoribus insignioribus essent compositi.

Et sanè *H*ymni, quibus in Divinis Officiis Romana utitur Ecclesia, pręclarissimos habent Auctores, ut sequitur.

S. AMBROSIUS in primis *H*ymnos omnes Feriarum (paucis exceptis) Nocturnorum, scilicet, Laudum, & Vesperarum Officii Ferialis, nec non Hymnos *H*orarum minorum, & Completorii composuit. Dixi paucis exceptis, nam *H*ymnus *Ales diei nuntius* in Laudibus Ferię Tertię, *Nox, & tenebrę, & nubila* Feriæ quartę, & *Lux ecce surgit Aurea* Feriæ quintæ, *Prudentium* habent Auctorem; & *H*ymnus *Jam sol recedit igneus* in Vesperis Sabbati *Alcuinum*, ex Cornelio: sive *Gregorium* ex Timoth. Idem verò *S. Ambrosius*, *H*ymni *Æternæ rerum conditor* de Laudibus Dominicæ, pariterquę *H*ymnorum dę Adventu *Creator alma syderum*, atque *En clara vox redarguit* Auctor fuit; Item *H*ymni *Jesu Redemptor omnium* de Nativitate Domini: *Audi benigne Conditor*: *Ex more docti mystico*: & *O Sol salutis intimis* de Quadragesima: [quamvis primus tribuatur Prudentio a Timoth. aut Gregorio ex

ejusdem Operibus *Tom.* 5. *Romę* 1593. *in calce Sacramentarii*. Tertius autem adeo immutatus sit in correctione Hymnorum ab Urbano VIII. facta, de qua infra, ut parum, aut nihil de antiquiori Hymno a S. Ambrosio composito remanserit). Sunt qui tribuunt eidem *Ambrosio* Hymnum de Passione *Lustra sex qui jam peregit*, sed videtur potius Auctoris, qui scripsit *Pange lingua*; unde ut unus Hymnus habetur in Missa Feriæ VI. in Parasceve. Hymnus in Laudibus Dominicæ in Albis *Aurora lucis rutilat*, sicut & Hymnus Vesperarum in Ascensione Domini *S. Ambrosium* habent Auctorem: sed in Breviariis post Hymnorum correctionem editis [de qua infra] hic differt ab illo, quem *Ambrosius* composuit. Scripsit præterea *Ambrosius* hymnum *Veni Creator Spiritus*, & *Jam Christus astra ascenderat* in Pentecoste, licet de hoc ultimo dubitari possit, *Cornelius* enim eum tribuit *Gregorio*. S. Ambrosius denique Auctor fuit Hymnorum: *Deus tuorum militum*, ex Radulp. *Tristes erant Apostoli*, & *Paschali mundo gaudio*, ex Joan. Bapt. de Rubeis. *Jesu corona celsior: Jesu corona Virginum* ex Radulpho. *Urbs Jerusalem Beata*, qui hodie *Cęlestis Urbs Jerusalem* ex Rubeo.

S. GREGORIUS Auctor est Hymnorum ad Nocturnum Dominicę per Annum, videlicet *Primo die*, *quo Trinitas*; & *Noctę surgentes vigilemus omnes*: itemque Hymni de Laudibus *Ecce jam noctis tenuatur umbra*, & Vesperarum *Lucis Creator optime*. Sunt qui *Gregorium* faciunt Auctorem hymni *Audi benigne Conditor* ex ipsius Operibus *Tom.* 5. *ut diximus supra*, &

Hymni

Hymni Vesperarum Ferię VI. *Homini superne Conditor* : qui Ambrosii potius videtur. Hymnus pręterea *Verbum supernum prodiens* ad Nocturnum in Dominicis Adventus *Gregorio* potius, quàm *S. Thom. de Aquin.* tribuendus est, sicut etiam hymnus ad Nocturnum in Ascensione Domini *Æterne Rex altissime* ex Breviariis etiam MS. *ante Ann.* 300. Hymnus item *Quem terra Pontus Sydera* Auctorem habet *Gregorium* ex Timoth. sicut etiam *Rex Gloriose Martyrum* : licet de primo dubitari possit; *Cornelius* enim eum tribuit *Fortunato*.

S. THOMAS de Aquino Auctor est Hymnorum in Festo Corporis Christi, nempe *Pange lingua Gloriosi Corporis &c. Sacris Solemniis juncta sint gaudia*, & *Verbum supernum prodiens.*

S. BERNARDUS Auctor dicitur Hymni *Ave Maris Stella*, & *Amor Jesu dulcissime* in Laudibus de Transfiguratione D. qui hodie *Lux alma &c.*

S. HILARIUS Hymni Laudum in Pentecoste a *Cornelio* dicitur Auctor.

PRUDENTIUS Auctor est Hymnorum de Laudibus Ferię III. IV. & V. nempe *Ales diei nuncius* : *Nox & tenebrę*, *& nubila* : & *Lux ecce surgit aurea*. Item Auctor est idem Prudentius Hymnorum de SS. Innocentibus, scilicet : *Audit Tyrannus anxius* : & *Salvete flores Martyrum*. Prudentium insuper Auctorem facit *Timoth.* Hymni de Transfiguratione D. *Quicumque Christum quęritis* : sed nota marginalis in alia editione eum tribuit *Bernardo* : & probabiliter; nam idem Bernardus *ex Timoth.* auctor est Hymni ad Laudes de eodem Festo : *Amor Jesu Dulcissime*. Prudentio tandem tribuitur Hymnus *Audi benigne Conditor*, ut diximus su-

pra de Hymnis S. Ambrosii loquentes.

SEDULIUS est Auctor Hymni de Nativitate Domini ad Laudes *A Solis Ortus cardine*, qui Alphabeticus est; illius enim strophæ incipiunt per A. B. C. D. E. F. G. composuit item *Sedulius* Hymnum *Hostis Herodes impie* de Epiphania, qui hodie est *Crudelis Herodes Deum.* Sunt qui Hymnum *Vexilla regis prodeunt* Sedulio tribuunt.

PAULUS DIACONUS trium Hymnorum est Auctor S. Joannis Baptistæ, scilicet: *Ut queant laxis resonare fibris*: *Antra deserti teneris sub annis*: atque *O nimis felix, meritique celsi.*

ELPIS *Boetii Uxor*, quæ floruit *Ann.* 522. Hymnos edidit: *Aurea luce, & decore roseo* (qui nunc *Decora lux æternitatis auream*): *Egregie Doctor Paule*: *Jam bone Pastor Petre*: *Quodcumque in Orbe nexibus revinxeris*: & *Petrus beatus catenarum laqueos*, (qui nunc *Miris modis*). Habentur autem prædicti Hymni in Breviario M. S. ante Annum 300.

ROBERTUS *Card. Bellarminus* Hymnum edidit de S. Maria Magdalena *Pater superni luminis*.

SYLVIUS *Card. Antonian.* Auctor est Hymni *Fortem virili pectore*, de Communi Sanctarum non Virginum.

FORTUNATUS Auctor dicitur Hymnorum *O Gloriosa Domina* (hodie *Virginum*): *Quem terra Pontus Ethera* (hodie *Sydera*): & *Vexilla Regis prodeunt*, sed nimis dubiè: nam Primus tribuitur etiam *Ambrosio* a Rubeo. Alter *Gregorio* à Timoth. Tertius verò Theodulpho [seu Theodulo] Sedulio, & Ambrosio.

ALCUINUS, Auctor dicitur Hymni *O lux Beata Trinitas*.

Re-

* Reliqui verò, qui in Breviario habentur Hymni incertos habent Auctores; cujusmodi sunt: *Sanctorum meritis*: *Iste Confessor*: *Exultet Orbis gaudiis*: *Virginis proles*: *Tibi Christe Splendor Patris*: *Christe Sanctorum decus Angelorum*: atque alii ex iis pręsertim, qui novissime Breviario inserti sunt.

* Notandum autem, plerosque ex prędictis Hymnis, quorum Auctores cum Gavanto supra enunciavimus, Urbani VIII. jussu, nec non sapientia emendatos fuisse, illorum enim Auctores leges metri sępius neglexerunt, ut sensui verba consonarent: adeoque in Breviariis post dictam correctionem editis, multis in locis hymni prędicti immutati invenientur. Ad pręfatos igitur Hymnos corrigendos adhibuit Urbanus VIII. tres lectissimos Societatis Jesu Viros, ac politiorum literarum bene peritos, & hi fuerunt: *Famianus Strada*; *Tarquinius Gallucius*: & *Hieronymus Petruccius*; quorum laborem magni omninò faciendum esse, adstruit clarissimus Vir *Theophilus Rainaudus*, *Tom.* 11. *punc.* 2. *pag.* 12. Hanc Urbani VIII. correctionem commendat pariter *Carolus Guyetus lib.* 3. *cap.* 5. *quęst.* 1. & asserit quod qui hanc emendationem respuunt, quibu'scumque ducti rationibus, parum se Ecclesię decorem diligere probant. correctio hęc Anno 1629. facta fuit; in ea autem intacti relicti sunt tres Hymni de SS. Sacramento, ratione Ethrusci Ritus, quo Auctor S. Thomas eos composuit. Hymnus item *Ave Maris Stella*, quæ est soluta potius Oratio, aliquibus incisis partita: & Hymnus Angelorum ad Vesperas, qui sine labe fuit, & pauci alii.

Hymnorum finis variatur pro ratione Festorum ut di-

dicitur in Rubrica *De Hymnis num*. 4. & fit semper Hymnorum Conclusio vel ratione temporis, vel ratione Octavę, quamvis in Officio nulla fiat de tempore, vel de Octava Commemoratio. Excipiuntur duo genera Hymnorum, quæ non patiuntur mutationem aliquam; nimirum, quando Hymni non sunt ejusdem metri; absonum enim esset, præsertim ubi cantantur Hymni: & quando Hymni habent ultimum versum proprium, hoc est, ita proprium, ut si careat solito fine, careat petitione, quæ fit ad Deum ante glorificationem SS. Trinitatis, vel simul cum eadem glorificatione; cujusmodi sunt ultimi versus Hymnorum de Festo Corporis Christi in Laudibus, de Communi Martyrum item in Laudibus, & de S. Cruce in Vesperis: Notandum in Hymno *Veni Creator*, quod ultima ejus strophes semper est *Deo Patri &c. & Filio qui a mortuis &c.* etiam extra Temp. Paschale.

* Ut de metri etiam diversitate nonnulla dicamus, notandum, quod ad sex species Hymni, qui in Breviario habentur quoad metrum reducuntur.

* Primæ speciei sunt Jambici Dimetri, ex. gr. *Exultet Orbis gaudiis*. *Salvete flores Martyrum &c.* in quibus quisque versus est Jambicus Archilochius dimeter Acatalectus constans quatuor Jambis hoc modo: *Exul = tet Or = bisgau = diis*. Notandum tamen, quod in locis imparibus, in primo nempe, & in tertio pede recipi potest etiam spondeus, ut in allato exemplo, *Exul* = spondeus est, utraque enim syllaba longa est: = *tet Or* = Jambus est, prima enim syllaba brevis, altera longa est: = *bis gau* = spondeus; *diis* = Jambus.

* Secundę speciei sunt Jambici Trimetri ex. gr. *Quodcumque in Orbe nexibus revinxeris*, in quibus

bus quisque versus, & Jambicus *Hipponactius* Trimeter Acatalectus constans è sex Jambis, ut patet recepto tamen in locis imparibus etiam spondeo, ut supra de prima specie.

* Tertiæ speciei sunt Hymni, quorum unaquæquè stropha habet tres versus Sapphicos, & quartum Adonium. Primi scilicet tres versus sunt hendecasyllabi (undecim nempe syllabarum) pentametri [quinque scilicet pedum]: constant enim è Trocheo Spondeo, Dactylo, & duobus Trocheis, vel Spondeo ultimo. Quartus autem cujusque strophæ versus, est Adonius dimeter ex Dactylo constans, & Spondeo, vel Trocheo. Hujusmodi est Hymnus *Iste Confessor &c.* in quo dimensio Sapphicorum hec est. *Iste = Confes = sorDomi = ni co = lentes =* Adonii autem hæc = *Scandere = Sedes =*

* Quartę speciei sunt Trochaici Dimetri ex. gr. *Pange lingua gloriosi*, in quo singulę strophę constant sex versibus, quorum pares in unaquaque stropha, scilicet secundus, quartus, & sextus, sunt Trochaici dimetri, & constant ex tribus Trocheis, & syllaba, ex. gr. in Hymno *Pange lingua* secundus versus *Corporis Mysterium* sic scanditur: *Corpo = ris My = steri = um =* De hujusmodi versu exemplum habemus apud *Horatium in lib.* 2. Carminum Ode 18. *Non Ebur, neque aureum.* Impares vero, primus nempe *Pange lingua gloriosi*, tertius, & quintus sonum habent Carminis Anacreontici Italici, de quibus neque *Horatius* nobis prębet exemplum.

Quintę speciei unicus habetur *Hymnus Ave Maris Stella*, qui speciem metri tantum habet quoad syllabarum numerum. Reduci potest hęc species ad *Trochaicos*, seu, ut ait Servius, *Itiphallicos.*

Se-

Sextę speciei tandem sunt, qui constant versibus Asclepiadeis Tetrametris, & Glyconiis Trimetris: tribus, nempe, Asclepiadeis, & quarto Glyconio in unaquaque strophe, cujusmodi sunt Hymni: *Sanctorum meritis*, *Sacris Solemniis*, *Te Joseph celebrent &c.* Constant autem Asclepiadei è spondeo, e duobus choriambis, & pyrrichio, vel jambo, & scanduntur hoc modo: *Sancto = rum meritis = inclyta gau = dia =* Glyconius autem constat è spondeo, choriambo, & pyrrichio, vel Jambo, & scanditur sic: *Gratum = promere Can = ticum =*

I

Jejunium Vigiliarum; *Vide Vigilia*.

Indulgentię pro die alicujus Festivitatis concessę, non dicuntur translatæ, si illa Festivitas transferenda sit *S. R. C.* 30. *Sept.* 1679. & 10. *Jun.* 1690. Excipiendum est tamen, ut tenet *Fagioli* in Kalendario perpetuo rationali *pag.* 55. & *Felix Potestas* in examine Ecclesiastico sub *num.* 3793. excipiendum est, inquam, casum, in quo Festum Annunciationis B. M. V. celebratur quoad forum, & Chorum in Feria II. post Dominicam in Albis tamquam in die fixa, & propria, ac si esset dies 25. Martii, ita ut cum Festo ita translato, intelligatur tunc translata etiam Indulgentia. Excipiendi item sunt alii casus, in quibus ex speciali indulto Apostolico, una cum Translatione Festi, trasfertur etiam Indulgentia. Hujusmodi indultum Apostolicum obtinuerunt PP. Minimi a Gregorio XIII. in Festo translato S. Francisci, nec non Monachi Benedictini ab Innoc. XI. quando transferendum

sit

ſit Feſtum S. Benedicti.

Indulgentiæ conceſſę iis, qui interſunt Horis Canonicis in Feſto, & per Octavam Corporis Chriſti, valent, etiamſi Officium dicatur de Sanctis occurrentibus, *ex Decr. Joannis* XXII. quod Gavantus in antiquo MSS. ſe legiſſe teſtatur.

Invitatorium, ſeu Antiphona illa, quæ ſemper dicitur in Officii exordio cum Pſalmo *Venite exultemus*, ordine in principio Pſalterii deſcripto, eſt ſignum, quo Eccleſia Filios ſuos ad Officium vocat; atque, ut ait *Amalar. lib.* 4. *cap.* 9. in eo communis cętus Fratrum convocat omnes degentes undique, ut excitentur, & veniant ad confitendum Domino. Et revera in Officio Mozarabico S. Iſidori Invitatorium vocatur *Sonus*, quaſi tuba eſſet excitans homines ad Deum laudandum. Grancolas aſſerit *lib.* 1. *cap.* 27. Invitatorium a Monachis originem habere, qui hoc ſigno manè excitabantur; & ut expergefierent, promebantur illa verba: *Venite adoremus Dominum*. Quod quidem de antiquiſſimis Monachis intelligendum eſt; nam in Regula S. Benedicti pręſcribitur Invitatorium cum Pſalmo 94. in Divini Officii exordio. Romę olim nullum erat Invitatorium, & quando receptum fuit, dicebatur his tantum diebus, quibus Populus ad Officium convenire conſueverat: Unde teſtatur *Amalar. ſupplem. cap.* 4. ętate ſua Invitatorium Dominicę dumtaxat Officio, non verò Feriali præfixum fuiſſe, quia Populus plerumque diebus, quibus exercetur opus ſervile, Officio non interveniebat, neque ad illud invitabatur: Clerici vero, atque Monachi, qui ex lege ſui ſtatus, ſeu Inſtituti ad Officium te-

ne-

nebantur, ad hoc recitandum Invitatorio opus non habebant.

Invitatorium variatur pro Officii qualitate, quæ varietas concinnior eſt hodie, quàm ante Pium V. tum in Officio de Tempore, tum de Sanctis. Dominico die Invitatorium *Adoremus Dominum, qui fecit nos:* Creationem reſpicit, quę facta eſt primo dierum omnium; in reliquis diebus concordat cum antiquis,

Invitatorium in die Epiphaniæ non dicitur, quia, inquit *Alcuin.* Herodes invitavit, & congregavit Scribas, ut ſcirent de Chriſto ad eumdem occidendum: vel quia Magi, inquit *Hugo in ſpec. cap.* 3. a nemine invitati venerunt ad Chriſtum, vel certè ne bis idem Pſalmus repetatur; dicitur enim eo die in tertio Nocturno, quia tempore gratię, quam reſpicit Evangelium cum Homilia tertio Nocturno pręfixum, invitantur omnes ad Deum, non ita communiter in lege, & ante legem. Unde frequens eſt repetitio verborum: *Venite adoremns eum.* Non dicitur item in triduo ante Paſcha, ne imitemur, ſed potius per ſilentium deteſtemur peſtiferum Judeorum Conſilium, & conventum contra Chriſtum: Pręterea Apoſtoli tunc diſperſi erant, qui alios ad Dominum invitare conſueverant. *Durand. lib. 6. cap.* 72.

Invitatorium in Officio Defunctorum dicitur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, in die Depoſitionis, ſeu obitus Defuncti, etiamſi unum tantum dicatur Nocturnum, ut habetur in Rituali Romano. Itemque in die Depoſitionis tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario: & regulariter, quando tres No-

ctur-

cturni dicuntur etiam *ex Durando lib. 5. cap. 3.* quia ad Solemnius Officium invitandi sunt plures. Per Annum autem omittitur, quia in hoc Officio exequias Christi in Parasceve fieri solitas imitamur: *Durand. ibidem.*

K A

Kalendarium a Kalendis dicitur: Kalendæ verò [idest prima dies Mensis] a Greco verbo *Kaleo* dictę sunt, quod *Voco* Latinè redditur: tunc enim (*ut ait Plut.*) Pontifex, vocato Populo, quot dies a Kalendis ad Nonas superessent pronunciabat. *Kalendarium* autem nihil aliud est, quàm Mensium, dierumque, ex quibus Annus constat, ac una Festorum coordinatio: Immo in Civili pręsertim Kalendario Lunationes adduntur, aliaque similia, quę ex Astronomicis supputationibus pendent. *Kalendarium* corrigi debuit Anno 1582. sub Gregorio XIII. de cujus correctionis necessitate, videatur Kalendarium Gregorianum a Clarissimo, & Doctissimo Viro Clavio Bambergensi Soc. Jesu Romę editum Anno 1603.

Kyrie eleison quid: Vide verb. idem *in Prima Parte.*

L A

Laudes Matutinę Officii Divini, sic dictę sunt eo quod Laudem apertè sonant Divinam, inquit *Hugo lib. 2. de Offi. cap. 10.* Dicuntur etiam *Matutinale Officium* ab Amalar. Sunt enim pars Officii Matutini; nec dicendę sunt separatim a Nocturnis nisi justa de causa: & licet earum initium sumatur a *Deus in adjutorium meum intende*, quod est initium Horarum singularum, non tamen Hora a Nocturnis distincta Laudes dicendę sunt: sed initium illud cum aliis Horis habent commune, ut possit ex causa dividi Ma-

tu-

tutinum a Laudibus. Quod si dividatur, dicendum est post Nocturnos Hymnus *Te Deum* cum Oratione, & *Benedicamus Domino* absque Commemorationibus, si quę essent faciendæ post Laudes, addita tantum submissa voce Oratione Dominica: prędictus enim Hymnus *Te Deum* finis est Nocturnorum, non verò initium Laudum, quod patet ex praxi in Noctę Natalis Domini. Item si dividantur Laudes a Nocturnis, præmitti debet, *ex Navarro de Orat. cap.* 3. *num.* 64. ante Laudes *Pater noster*, *Ave Maria*: cui etiam *Francolinus* consentit *cap.* 28. *num.* 3. licet Laudes Horam esse distinctam non censeat: ex Rubrica enim Breviarii jubemur, inquit dicere *Pater*, *&* *Ave* ante omnes Horas, pręterquam ad Completorium; & quamvis in Nocte Nativitatis Domini nihil dicere jubeamur, sed absolutè Laudes incipiamus, ut indicatur in Breviario in proprio loco: non officit tamen; Laudes enim Nocte illa uniuntur Missę.

Laudum ordo patet in sua Rubrica. De numero partium, ipsarumque significatione, egimus verb. *Horę Canonicæ*.

Laudum Psalmi semper iidem sunt in Festis, & in Feriis Paschalibus, *ex Microlog. cap.* 43. quia resonant lętitiam, & resurrectionem gloriosam in octonario eorum numero. In Festis quoque trium Lectionum eosdem dici tradit *Radulph. proposition.* 10. Primi duo ex his Psalmis mutantur in Dominicis a Septuagesima, usque ad Dominicam Palmarum inclusivè: quia non est tempus lætitię, quam exprimunt ii duo Psalmi, vice quorum dicuntur Psalmi *Miserere*, & *Confitemini*, ad timorem & spem eo tempore excitandam: timorem ob pec-

peccata in primo; ſpem ex bonitate Dei in altero. *Amalar. lib.* 4. *de Offic. cap.* 18. In Feriali Officio per Annum primus Pſalmus eſt Pęnitentialis *Miſerere*, quia dies Feriales ſunt pęnitentię, inquit *Hugo* 1. *de Off. cap.* 10. ſecundus variatur, ut in tota Hebdomada Feriali Pſalterium expleatur. Et hi quidem Pſalmi per totam Hebdomadam diſtributi, ut ſecundo loco in Laudibus Ferialibus dicantur, optimè Matutinis Laudibus adſcripti ſunt: Nam ut notat *Amalar.* in Feria ſecunda dicimus in ſecundo Paſalmo: *Mane exaudies vocem meam*: Feria tertia, *Emitte lucem tuam*: Feria quarta, *Exitus Matutini*: Feria quinta *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat &c.* & *Repleti ſumus mane*: Feria ſexta, *Auditam fac mihi mane*: Sabbato, *Ad annuntiandum mane miſericordiam tuam*.

Lectiones in fine Nocturnorum quo Ritu, & Ordine dicendę ſint, patet ex Rubrica Breviarii XXVI. quę *De Lectionibus* inſcribitur. Verum nonnulla hic de iis ſubnectere haud inutile exiſtimavimus.

Lectiones igitur ſic dictę ſunt, quia leguntur, & non cantantur, ut Pſalmi. *Durand. lib.* 5. *cap.* 2. Atque uſus earum originem ducit a Lectione, quæ fiebat in ſcholis Patrum *Act.* 13. *&* 15. Iſidorus autem *lib.* 7. *de Off. cap.* 10. Lectionum uſum deducit ab Hebręis, qui certis diebus legebant de Lege, & Prophetis in Sinagogis, & legit Chriſtus ipſe *Luc.* 4. *verſ.* 16.

Lectionum numerus nec fuit major novem, nec minor tribus. *Amalar. lib.* 4. *cap.* 9. Per novem autem conjungimur converſationi novem Ordinum Angelorum; per tres vero Lectiones tria prædica-

cationis tempora designantur , ante legem , sub lege , & tempore gratię . *Idem cap.* 11.

Lectiones ex utroque Testamento desumuntur . In primo enim Nocturno de Veteri Testamento ut plurimum leguntur . In secundo Nocturno de Sermonibus SS. Patrum , seu de Vita Sanctorum , de quibus celebrarur Officium . In tertio Nocturno de Homiliis in Evangelia .

Lectiones primi Nocturni hoc Ordine per Annum distribuuntur in Breviario . In Adventu legitur Isaias; quia nemo Propheta , *ait Amalar.* , apertius loquutus est de Nativitate Christi . Ab Epiphania [immò a Natali Domini] ad Septuagesimam leguntur Epistolæ S. Pauli , quia dum repręsentatur Christus in mundo , novi Testamenti pręcones audiri debent ante Quadragesimam . *Rupert. lib.* 10. A Septuagesima ad Dominicam de Passione , Genesis , & Exodus : quia Passionem Domini celebraturi , recurrere debemus ad Adę peccatum , pro quo passus est : & dum legitur de Patriarchis Abraham , Isaac , & Jacob , quasi de diversis ætatibus ad Christum Choros Patrum deducimus . *Rupert. lib.* 4. *cap.* 5. In Passione Jeremias legitur , qui multa narrat de eadem . *Amalar. de Ordin. Antiph. cap.* 76. Post Pascha Actus Apostolorum , Apocalypsis , & Epistolæ Apostolorum ; quia virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Christi . *Rupert. lib.* 10. *cap. ult.* Post Pentecosten usque ad Mensem Augustum Libri Regum ponuntur , ut resumatur Ordo Historicus a Genesi , ad Lib. Regum . *Amalar. de Ord. Antiph. cap.* 72. Mense Augusto leguntur Sapientiales Libri : nempe Proverbia , Ecclesiastes , Canticum Canticorum , Sapien-

pientia Ecclesiasticus: quia post Libros Regum ęquum est, ut Rex Salomon audiatur: ferventeque sole eo mense ferveat & sapientia. *Amalar. loc. cit.* Mense Septembri Job, Tobias, Judith, Esther; ut imitemur eo tempore patientiam Jobi, & Tobię. *Amalar. cap.* 73. Mense Octobri Machabęorum Libri leguntur, ut recordemur inter virtutum profectus, vitiorum bella non deesse. *Rupert. lib.* 12. *cap.* 24. Mense Novembri leguntur Ezechielis, Danielis, & duodecim Prophetarum minorum Libri, quia sępe loquuntur de Adventu Messię, quem celebramus in proximo Decembri. *Amalar. cap.* 76. vel quia ipsis Prophetarum libris excitamur ad spem, & metum, usquequò redeat Christus in adventu secundo. *Rupertus supra.*

• Notandum cum *Durando in Ration. lib.* 6. *cap.* 129. quod pręcedunt quidem libri exemplares, quales sunt libri Regum, & alii historici, qui pręcesserunt; sequuntur doctrinales, redeunt alii exemplares, tum alii demum doctrinales, quia plus movent facta, quàm verba: & hac vicissitudine ad perfectionem virtutis pervenitur. Libris igitur Regum ad exemplum lectis, legimus Augusto Mense doctrinales Salomonis Libros: tum Septembri exempla Job, Tobię, Judith, atque Esther: Deinde Mense Octobri legimus Machabęorum Libros, qui ad virtutem nos incitant, & impellunt. Novembri tandem doctrinales alii Prophetarum succedunt.

• Initia Librorum Sacrorum regulariter leguntur in Dominicis: quod si Festo aliquo impediantur, æquum est, ut ab initio Libri in sequenti die non impedito auspicetur lectio, Ritu a Rubrica

prescripto *n.* 6. Ex prædictis igitur Libris aliquid quotannis, vel in propria die, vel in sequenti, vel in precedenti, *ex Rubr. n.* 7. est legendum: Advertendo tamen post Epiphaniam, quod adveniente citius Septuagesima, licet tantum de Epistola ad Romanos, seu Corinthios lectum sit, finis imponitur Lectioni Epistolarum S. Pauli, ex enim omnes simul constituunt unum Librum, quem sufficit incepisse. Idem dicito de Epistola 2. S. Petri, & 2. & 3. S. Joannis infra Octavam Ascensionis. Que quidem intelligenda sunt de cessatione lectionis harum Epistolarum supervenienté Septuagesima, vel Pentecoste, non autem de impedimento aliquo infra id tempus, quo perseverat lectio harum Epistolarum, tunc enim resumenda essent initia harum Epistolarum, si locus adsit ante cessationem predictam. Ita *Guyetus lib.* 4. *cap.* 16. *qu.* 2. atque alii in re Rubricista versatissimi Viri apud *La Croix*, quorum sententiam amplectitur *Meratus*, licet *Gavanto* adversari videatur. Idem dicendum est tandem de Libris Regum adveniente Augusto, sufficit enim quod de iis lectus sit primus, vel secundus Liber. Ceterùm de aliis Scripturę libris aliquid semper legendum est, etiam de Prophetis minoribus, quamvis plura Prophetarum initia uno die sint legenda: Hac adhibita lege, ut non extra propriam eorum hebdomadam legantur: neque duo initia sub una conclusione: *Tu autem Dom. &c.*, neque in precedenti Feria, si in sequenti datur locus ea legendi, ut indicant verba Rubricę. Quod si alicubi occurrat Festum aliquod Duplex primæ Classis ex. gr. S. Catharinę in Ecclesia propria, in quo legi ideo de-

debent Lectiones primi Nocturni de Communi Virginum; neque dies amplius vacet ad legenda reliqua initia Prophetarum, tunc omitti possunt quæ locum non habent; nam *Rubr. n.* 7. ait: *Quoad commodè fieri poterit*: parumque refert, si in Ecclesia aliqua particulari non legatur de omnibus Prophetis aliquo Anno.

Lectiones in primo Nocturno de Communi Sanctorum positę sunt tum quia aliquibus in locis Festa particularia solemniora sępius occurrunt, in quibus Lectiones illę in Communi positæ ad majorem Solemnitatem in primo Nocturno legendę sunt: tum etiam quia occurrente Festo novem Lectionum in Quatuor temporibus, Feriis Quadragesimę, Vigilia &c. cum pro eo die Lectiones de scriptura non habeantur in Breviario, sed earum loco Homilia in Evangelium Ferię majoris currentis, Lectiones primi Nocturni de Communi sumendæ sunt.

Lectiones secundi Nocturni in Officio de tempore, in Festis Domini, Beatę Mariæ, & quorumdam etiam Sanctorum leguntur de Sermonibus SS. Patrum, ut patet ex Breviario. In Festis autem Sanctorum leguntur ut plurimum de Historia, seu Actibus Sanctorum illorum, de quibus recitatur Officium. Quas verò nunc habemus secundas Lectiones ex Historiis Sanctorum, eę fuerunt a Cardinalibus Bellarmino, e Baronio recognitę, & approbatę sub Clemente VIII. qui rejecerunt ea omnia, quæ jure merito revocari poterant in dubium. Nonnulla tamen, quę controversa erant, utpote alicujus gravis Auctoris testimonio suffulta, cum aliquam haberent probabilitatem, ideò rejecta non fuerunt

ſed retenta eo modo , quo erant , falſitatis ſiquidem argui non poſſunt , quamvis fortaſſe oppoſita ſententia ſit a pluribus recepta. Quę verò Patrum Opuſcula, aut Sermones pro Lectionibus ſecundi Nocturni legi poſſent decrevit Gelaſius Papa: nimirum SS. Cypriani , Joannis Chryſoſtomi , Hilarii , Ambroſii , Auguſtini , Hieronymi, & Leonis Papæ. Nunc tamen aliorum etiam Patrum habentur in Breviario Sermones , qui in Officio Divino leguntur, ſcilicet SS. Gregorii Magni , Iſidori , Joannis Damaſceni, Cyrilli , Gregorii Nazianzeni, & Niſſeni, Thomæ Aquinatis, Maximi Epiſcopi &c.

Lectiones tertii Nocturni ſunt de Homilia in Evangelium currentis diei, aut Feſti , exceptis Matutinis Tenebrarum. Quod ſi in Officio novem Lectionum fieri debeat Commemoratio de Feria aliqua majori, quæ proprium habeat Evangelium cum Homilia, vel de Sancto Simplici, qui propriam habeat Lectionem, vide quę diximus verb. *Homilia*. Quibus tamen addendum, quod omittitur nona Lectio de Sancto Simplici infra Octavam Corporis Christi , quando officium fit de Octava.

Lectiones in Choro leguntur hoc ordine: ab Junioribus primæ, a Senioribus ultimæ ; & ſinguli ſingulas legunt , *ex Cęrem. Epiſc. lib. 2. cap. 6.*

Huc tandem ſpectant ſequentia Decreta. S. R. C. nimirum : ==== Habetur in aliquibus Eccleſiis Reliquia inſignis alicujus Sancti , qui cum Socio eſt in corpore Breviarii, & uterque habet Feſti Simplicis Ritum , veluti contingit in Feſto S. Gervaſii , & Protaſii , quorum duę Lectiones vitam, amborumque mortem enarrant ; in quo ca-

casu si Lectiones disjungi commodè possunt, legenda est illa de Sancto, cujus sit Officium Duplex propter Reliquiam insignem in secundo Nocturno, & hęc erit quarta Lectio: quinta, & sexta sumendę sunt de Communi; altera verò Lectio disjuncta pòni poterit pro nona Lectione in tertio Nocturno tamquam de Sancto Simplici, de quo fieri debet etiam Commemoratio ad Laudes. Si verò non possunt commodè disjungi, ponenda est in secundo Nocturno pro quarta, & quinta Lectione, & sexta legenda est de Communi, & in hoc casu Lectio nona pro Simplici non est repetenda, fieri tamen debet de eo Commemoratio. *S. R. C. 16. Jan.* 1677.

* Si in Dominica quarta post Pascha legantur Lectiones Initii Epistolę B. Jacobi Apostoli, in Festo SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi legendę sunt Lectiones ejusdem Epistolę ~~, quę~~ occurrent dicendæ in illa Feria (si de Epistola B. Jac. Ap. legatur, alioquin in die Festo ponitur Initium) *S. R. C. 5. Maii* 1736.

* Dominica in Albis potest legi nona Lectio de Simplici Festo occurrente. *S. R. C. eod. Die, & Anno.*

* Quando October habet tantum quatuor Dominicas, servetur omnino dispositio Breviarii Romani, & in Feria quinta, sexta, & Sabbato hebdomadæ quartæ legantur Lectiones de Dominica quinta continentes historiam martyrii Machabęorum *S. R. C. die, & Anno, ut supra.* Scilicet, de Dominica quinta in die Feriæ quintæ, & in Feria sexta de Feria secunda; in Sabbato verò de Feria tertia ejusdem Dominicæ quintę. Quod si fuerint impeditæ eo Anno omittantur illę Le-

ctiones, quę iis diebus legi non possunt. Si verò in sequenti hebdomada hæ Lectiones in suis Feriis legi non possint, ponuntur in sequentibus Feriis ejusdem hebdomadæ juxtà ordinem Historiæ martyrii Machabeorum. *Rubr. pr. loc.*

• Quando in Festo aliquo Lectiones assignantur legendę sive propriæ, sive de Communi, omittitur etiam initium Scripturę, quod tamen reponendum est infra hebdomadam in Officio Ritus inferioris minoris dignitatis, & Solemnitatis, etiamsì tale Festum habeat Lectiones proprias, aut sint de Communi *S. R. C. supra.*

Lectiones primi Nocturni de Exodo, quæ leguntur in Dominica quarta Quadragesimę, quoties ista sit impedita aliquo Festo primę Classis reassumendę sunt intra illam hebdomadam in Festo occurrente carente Lectionibus propriis primi Nocturni, quę desumerentur de Scriptura occurrente, si Festum illud extra Quadragesimam incidisset. *S. R. C. 26. Nov.* 1735.

• In Festo S. Joannis Chrysostomi, quoad Lectiones in primo Nocturno legendas, servetur Rubrica Breviarii Romani: unde extra Quadragesimam dicantur Lectiones de Scriptura occurrente: intra Quadragesimam verò de Communi Doctorum. Pro S. Joanne de Matha idem servandum: & in Quadragesima dicantur Lectiones de Communi, scilicet *Beat. vir &c. S. R. C. 5. Maii* 1736.

• In Festo S. Theresiæ Lectiones primi Nocturni sunt de Scriptura, non vero de Communi *S. R. C. 2. Sept.* 1741.

• In die Octava Dedicationis Ecclesię Lectiones primi Nocturni sunt de Communi, & non de Scriptura *S. R. C. ead. die.* Illę nempe, quę in die

die Festo lectę fuerunt. Quod pariter servandum est in die Octava Festorum illorum Octavam habentium, quando Octava dies occurrit in Feria aliqua majori, in qua Lectiones de Scriptura in Breviario non assignantur, sed Homilia.

Litanię Majores in Festo S. Marci, & Minores in triduo ante Ascensionem Domini a quo institutæ: Vide *in Prima Parte* verb. *Litanię*, ubi de Majoribus in Paschate occurrentibus quid agendum diximus. Huc autem spectat de Ritu tum Majores, tum Minores Litanias recitandi nonnulla animadvertere. Et primo quidem sciendum, quod omnes, qui ad Horas Canonicas tenentur, sive in Processione, sive privatim, Litanias diebus prędictis debent ex pręcepto recitare.

* Processio autem pro cantandis Litaniis hoc Ritu instituenda est: Clerus in Presbyterio in habitu Chorali congregatus, stando cantant Antiphonam: *Exurge Domine &c.*, quę post versum Psalmi: *Deus auribus nostris &c. & Gloria Patri &c.* repetitur; qua terminata genuflectunt omnes, & duo Clerici, vel Cantores ante Altare majus pariter genuflexi, devotè cantare incipiunt Litanias omnium Sanctorum, Choro respondente, vel easdem etiam repetente, si talis sit consuetudo, aut si longior sit Processio, ut ait *Gavantus*, licet hujusmodi repetitio propria sit tantum Sabbati Sancti, & Pentecostes. Statim vero ut cantatum fuerit *Sancta Maria ora pro nobis*, & non prius, surgunt omnes, ut docet *Gavant.* ac ordinatim procedunt egredientes ab Ecclesia, Litaniasque prosequentes, pręcedente Cruciferario, cum duobus Acolytis Candelabra cum Cereis accensis deferentibus; deinde sequi-

tur Clerus, ultimo vero loco Sacerdos Hebdomadarius cum Pluviali violaceo, vel cum Stola violacea super Cottam, & post eum Popolus, Clerus autem ejus Ecclesię, ad quam Processio pergit juxta morem, & consuetudinem cujuscumque loci, obviam veniet usque extra Portas Templi, ibique stans, eam recipiet. aliquo Sacerdote aspergente Aqua benedicta ingredientes Templum; & si adsit consuetudo, ut ibi terminetur Processio, dicuntur (omnibus genuflexis etiam Celebrante, qui tamen ad Orationes surgit) ea, quę remanent pro terminandis Litaniis, cum precibus (quę quidem Preces numquam per viam dicendæ sunt, sed curandum a Cantoribus, ut Litanię usque ad Preces exclusivè sufficiant in via, Sanctorum invocationibus, si pro itineris longitudine opus sit, lentè, & aliquo etiam temporis interjecto spatio decantatis) Precibus ergo absolutis, dicitur Missa Rogationum, & quidem sine Commemoratione Festi occurrentis. Quod si Processio ibi terminanda non sit, sed (ut mos est apud ferè omnes Ecclesias) ad eam Ecclesiam, unde discesserat Clerus, & Populus processionaliter redire debeat: tunc statim, ut ad eam Ecclesiam Processio pervenerit, ad quam dirigitur; Litaniis intermissis, Missa Solemnis de Rogationibus ibi decantatur in paramentis violaceis (non autem de S. Marco, si Processio est Litaniarum Majorum, nec de alio Sancto occurrente, si fuerit Processio Litaniarum Minorum) nisi tamen S. Marcus fuerit Patronus, vel Titularis illius Ecclesię; tunc enim loco Missæ Rogationum, cantari poterit Missa de Titulari prædicto. Celebrata igitur Missa Ro-

gationum, seu Processionali, ordinatur Processio, & ad eam Ecclesiam rediit, unde discesserat, cantando in reditu vel partem Litaniarum, quę remansit usque ad Preces exclusivè, vel si nihil remansit recitando Psalmos Pęnitentiales, seu Graduales, saltem aliquos, pro itineris longitudine; quod si in via divertendum sit ad unam, vel plures Ecclesias, intermissis tantisper Litaniis, vel Psalmis, cantatur Antiphona cum Versu, & Oratione de Sancto Patrono illius Ecclesię; sed juxta sententiam Castaldi *in Praxi Cęrem. lib. 3. sect. 9. cap. 6. n. 1.* dicitur illa Oratio, quæ recitari solet in Suffragiis, quę fiunt in Commemoratione per Annum, non verò illa de ipsomet die Festi, nisi sit conformis Commemorationi. In egressu autem dictarum Ecclesiarum resumuntur Litanię, vel Psalmi ab eo loco, quo intermissi fuerant, procedendo usque ad Ecclesiam, in qua Processio incępta fuerat, ibique omnibus ante Altare majus genuflexis eo modo, quo ante Processionem, quando duo Cantores Litanias cantare cæperunt, dicuntur Preces ab iisdem Cantoribus, Choro, & Populo respondente.

Litanię ab iis, qui non intersunt Processioni flexis genibus recitari debent, licet tempore Paschali oremus stantes; męrorem enim habent cum colore violaceo, & recitantes peccatorum potius statum repręsentant, quam justorum: unde in iis dicunt: *Peccatores*. Dicuntur autem post Laudes ante ℣ *Fidelium Animę*: Sed quęstio est utrum ab eo, qui recitat Vesperi Matutinum cum Laudibus, possint etiam statim recitari Litanię. Gavantus proposita sibi quęstionę, re-

spon-

ſpondit poſſe ; Rubrica enim, ajebat, conjungit Litanias cum Laudibus, & acceſſorium (cujuſmodi ſunt Litaniȩ) ſequitur naturam ſui principalis : qua propter ſi pridie poſſunt recitari Laudes, non eſt cur non poſſint recitari Litaniæ. Quam *Gavanti* ſententiam etiam *Gobat tract.* 5. *num.* 615. olim amplexus fuerat : Sed validiſſimis poſtmodum *Guyeti* permotus rationibus *lib.* 4. *cap.* 20. *quæſt.* 6. traditis, in contrariam ipſius *Guyeti* ſententiam tamquam probabiliorem in poſteriore ſui Operis editione deſcendit *Tract.* 5. *n.* 616. Potiſſimum *Guyeti* argumentum ex Decreto S. R. C. ducitur *die* 1. *Sept.* 1607. edito, & a *Gavanto* relato, in quo præſcribitur, ne pridie Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum Veſperi recitetur Matutinum cum Laudibus Defunctorum, ſed ipſa die mane. Cum igitur, *ait Guyetus*, Matutinum, & Laudes Defunctorum ȩquè bene poſſint dici pars Laudum diei, ac Litaniȩ, nam ȩquè Laudibus adjunguntur per Rubricam, & ȩquè iis adimunt Verſum *Fidelium Animæ &c.* ergo nec Litaniæ Veſperi dici poſſunt ab iis, qui Matutinum cum Laudibus recitant pro die ſequenti. Adde, quod uſus eſt multarum Eccleſiarum, ut Veſperi decantent Matutinum cum Laudibus Defunctorum; ut nullibi receptum eſt, ut Litaniȩ Majores, vel Minores pridie decantentur, ergo juxta communem ſenſum magis ſunt affixȩ diei D. Marci Litaniȩ Majores, & tribus diebus Rogationum Litaniȩ Minores, quàm ſit affixum diei 2. Novembris Officium Defunctorum. Hanc ſententiam pariter tenent *Tamburinus*, *Joannes Stoz*, *La Croix*, *& Halden.*

Li-

Litaniæ Sanctorum in Brev. MSS. & in edito 1550. majorem Sanctorum, & petitionum numerum continebant. Pius autem V. selegit nobiliores Sanctos, & ad sufficientem numerum petitiones redegit: quibus non debet fieri ulla additio, inconsulta Sancta Sede Apostolica; nec etiam Patronorum loci: & prȩsertim quando dicuntur Litaniȩ ex prȩscripto Breviarii Romani in Rogationibus, & in Feriis sextis Quadragesimȩ: quia Pius V. prohibuit in Bulla omnem additionem. In quibusdam vero Populorum necessitatibus addi poterunt ab Episcopis petitiones aliquȩ, veluti *A Peste, Fame, & Bello, A Flagello Terremotus*, & hujusmodi pro temporis exigentia; neque Paulus V. videtur prohibuisse in Rituali Romano additionem ex causa rationabili. Quod autem spectat ad Sanctorum additionem, *S. R. C.* 22. *Martii* 1631. respondit Canonicis Cathedralis Regiensis, non posse inseri alios Sanctos in Litaniis, prȩter descriptos, etiam tempore pestis; quo tempore hi petebant facultatem addendi Sanctos Titulares, & Patronos Civitatis.

M A

Martyrologium legitur in Choro ad Primam, de quo Baronius multa *in Prȩfatione ante Romanum Martyrologium*. Martyrologii originem ab ipsius Ecclesiæ primordiis repetendam esse facilè sibi persuaserit quisquis accuratè perpenderit quantà olim diligentià dies eorum notarentur, qui proprio sanguine fidem Ecclesiȩ Catholicȩ propugnabant, ut eorum triumphus in sacris conventibus publica laudatione celebraretur. Sanctus enim Clemens Notarios constituit, ac per Urbis Regiones divisit, qui Martyrum

A-

Acta colligerent ; quę Antherus postmodum, ut scribit Anastasius Bibliothecarius *in Libro de gest. Rom. Pont.* diligenter a Notariis exquisivit, & in Ecclesia recondidit, ne interirent, vel ab Ethnicis fęde corrumperentur ; propter quod a Maximo Pręfecto martyrio coronatus est. Septem deinde Notariis a Clemente constitutis addidit ad eamdem causam septem Subdiaconos Fabianus Papa. Alięque Ecclesię idem fecere, ut Smyrnensis, & Carthaginensis, etiam ante S. Cyprianum Episcopum, & Martyrem.

Martyrologium legitur in Choro post Orationem ad Primam, & in fine additur Versus ad Lectionem accomodatus : *Pretiosa in conspectu Domini &c.* in venerationem, inquit *Hugo 2. de Off. cap. 2.* Sanctorum omnium: invocantur iidem Sancti per Orationem sequentem : *Sancta Maria, & omnes Sancti &c.* a quibus ad Deum Trinum elevamur, repetito Versu ter : *Deus in adjutorium meum intende* ; quem & pręcamur secretò Oratione Dominica : tum versu Davidico: *Respice in servos tuos &c.* denique Oratione, qua dirigi postulamus in omnibus tota die.

• Ad Martyrologium autem ritè legendum hę potissimum leges servari debent. Ut nimirum primo loco pronuncietur regulariter Sanctus ille, de quo in sequenti die faciendum est Officium, etiam si non sit in Martyrologio, si a majoribus ritè decretum sit Officium. Dixi regulariter; nam translato Festo alicujus Sancti juxta Rubricam *de Translatione Festorum*, non fit Translatio de eodem in Lectione Martyrologii, nisi in casibus in Martyrologio expressis : & quando Festum aliquod non simpliciter transfertur, sed penitus mu-

mutatur a die proprio, in quo semper impeditur, in alium, cui perpetuo addicatur. Ita sentit *Guyetus lib. 2. cap. 14. quæst. 5.* quę quidem opinio conformis est duobus S. R. C. decretis editis die 5. *Maii* 1736. Translata quoque Vigilia in Sabbatum, quando scilicet Festum, de quo Vigilia celebratur occurrit in Feria secunda, non anticipatur Lectio de Vigilia in Martyrologio, licet anticipetur Officium cum Jejunio. Legenda autem sunt primo loco nomina Sanctorum, qui adduntur in dies Breviario Romano, etiam eorum, quorum Officium ad libitum recitari potest, si illud recitandum sit in Choro. Item primo loco annunciari debet dies Octava Festorum propriorum: *ex Cęrem. Monast. lib. 2. cap. 7. §. 3.* & Bisso *lit. M. num.* 101. §. 4. si tamen de ea sequenti die faciendum sit Officium. Festa tandem Domini mobilia post Lunę pronunciationem primo loco annuncianda sunt, excepto Paschate, quod antequam legantur Kalendæ annunciatur; & ratio patet, quia in ipso die Paschatis annunciatur, Kalendę verò pertinent ad sequentem diem. Quia vero mobilia Festa incertam habent sedem, ideo initio Martyrologii propriæ formulæ datę sunt: nempe, pro Dominica Septuagesimę, die Cinerum, Dominica Palmarum, Cęna Domini, die Paschę, Ascensione, Pentecoste, Festo Trinitatis, & SS. Corporis Christi.

Matutinum, pro ea Officii Divini parte accipitur, quę noctu olim recitabatur, ac proinde *Nocturni*, seu *Vigiliæ nocturnę* dicebantur. Nunc verò quia hi Nocturni cum Laudibus conjunguntur, quæ in prima diei luce dicendę sunt, ideo *Matu-*

tutini nomine vocantur a voce *Matuta*, quæ Auroram significat.

Matutini, sive Nocturni Officii recitandi hora non eadem ubique antiquitus fuit: ex Homilia enim 59. S. Joannis Chrysostomi ad Populum Antiochenum sub noctis medium eo tempore recitari deducitur; in ea enim habetur: *initium illi* (Officio) *dandum ad Galli cantum*. In Regula *Abbatis Isaiæ cap.* 57. In Regula *S. Basilii cap.* 37. tempus illud, quo Nocturnum Officium peragi debebat noctis medium appellatur, & hoc idem in Regula *S. Columbani cap.* 7. Carthusiani duabus horis ante noctis medium incipiunt; & in Regula *S. Benedicti cap.* 8. duabus post mediam noctem horis surgendum esse præscribitur: & hora hæc, quæ octava a S. Benedicto appellatur, pro illa fortassis de Galli cantu accipienda est, ut optimè observat *Grancolas Commentar. Histor. in Brev. Rom. lib.* 1. *cap.* 23. de qua S. Joannes Chrysostomus supra. Qui plura de antiquo Ritu, & hora Officii hujus recitandi desiderat, legat Card. Bona *de Div. Psalmod. cap.* 5. Grancolas, Edmundum Martene, Francolinum *de tempor. Horar. Canon. cap.* 5. & Oliverium Bonartium *De Hor. Canon. instit. lib.* 1. *cap.* 21. *&* 22. Hic tamen notandum, quod in noctis Officio unicus erat priscis temporibus Nocturnus, qui constabat duodecim Psalmis, quemadmodum etiam nunc in Feriali Officio, & in primo Dominicæ Nocturno: sed quia Dominica dies tota Deo colendo atque laudando Sacra esse debet, cœperunt Monachi præsertim Egyptii, ut tradit *Cassianus lib.* 3. *cap.* 3. noctem, quæ Dominicam præcedit tribus diversis tem-

temporibus orando transigere : eo quod diebus Dominicis opus facere non licebat; contra verò reliquis , quibus opus faciebant , semel tantum per noctem orabant. Precipuis autem Anni Festis, non secus ac Dominicis diebus noctis Officium in tres Nocturnos dividebatur . Sed tres Nocturni isti, qui non solum apud Monacos majori pietatis ardore ferventes , sed etiam apud Clericos in Ecclesiis Cathedralibus , diversis horis, diversis noctis vigiliis correspondentibus recitabantur : tepescente & Clericorum , & Monacorum fervore, non separatim , ut ante , sed continenter una cum Laudibus decantari ceperunt, & tres Vigilie ad unam solum redactæ sunt: & quidem initio decretum erat ut media nocte surgentes, Officium Nocturnum tunc temporis cum Laudibus conjungerent , qui mos etiam nunc apud quosdam Regulares , atque (ut tradit *Grancolas lib.* 1. *cap.* 23.) in Ecclesia Cathedrali Parisiensi . Sed cum nec onus illud surgendi media nocte Clerus toleraret , hoc saltem obtinuerunt Ecclesiarum Præsides , ut ultima noctis Vigilia Clerici ad Matutinum recitandum surgerent, & convenirent , ut jam fieri solet in Ecclesiis Cethedralibus , & Collegiatis.

Matutinum quo Ordine, & Ritu recitari debeat, patet ex Rubrica XIII. *De Matutino* inscripta. De partibus verò, ex quibus Matutinum constat propriis locis, servato scilicet Alphabetico ordine sermonem habemus.

Matutinum , cum Laudibus ex justa causa recitari potest in Vesperis precedentis diei *ex S. Thom. quodlib.* 3. *art.* 28. *& communis* . E contra vero qui differt Matutinum sine causa usque ad Ve-

Vesperas, nimis notabiliter variat tempus, & peccat venialiter ex communi Auctorum sententia.

Matutinum cum Laudibus recitari debet ante Missę celebrationem. Sed pro certo habetur communiter inter Doctores, quod urgente aliqua legitima causa licitum est celebrare ante Matutinum, citra ullam noxam etiam venialem v. gr. si in Ecclesiam ingrederetur Princeps, Prælatus &c. causa audiendi Sacrum; vel si Celebrans valde mane aggressurus esset iter, vel habiturus aliquam Concionem &c. Nulla autem interveniente causa, Sacrificium peragere non recitato Matutino, probabilior est, & communior Auctorum sententia culpam esse tantum venialem. Quam quidem sententiam tenet etiam *Scarfantonus* ad Ceccoperium *part.* 1. *lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 25. ubi plures affert Auctores.

Matutinum tenebrarum in postremo triduo majoris hebdomadę quo Ritu dicendum sit, patet ex Breviario. Notandum tamen, quod Officium hoc triduo caret solito principio, dicto enim secretò *Pater*, *Ave*, & *Credo*, immediatè incipit ab Antiphona, quam Superior Celebrans inchoare debet signans se interim signo Crucis, quod omnes pariter pręstare debent in principio cujuslibet Horę Canonicę. Altare autem ornetur pallio violacei coloris pro Matutino Feria quarta celebrando (duobus enim sequentibus diebus expoliata omnino esse debent Altaria) sine floribus, ac Sanctorum Imaginibus, seu Reliquiis, & super illud sint sex Candelabra ex materia potius oscura, cum Candelis cerę communis: a laterę verò Epistolę, *ex Cęrem. Episc.* *lib.*

lib. 2. *cap.* 22. in plano Presbyterii, ubi scilicet Subdiaconus cantare solet Epistolam, praeparetur Candelabrum triangulare ligneum cum quindecim candelis pariter cerę communis super duo latera superiora dicti trianguli gradatim hinç inde dispositis, septem scilicet pro unoquoque latere, & decimaquinta in Candelabri cuspide, seu angulo: Quę quidem candelę, sicut & sex cerei de Altari circa finem Completorii accenduntur ab aliquo Acolyto, qui finito quolibet Psalmo in Matutino, & Laudibus, facta in medio Presbyterii genuflexione ad Altare, extinguit, adhibito solito instrumento, unam ex candelis in praedicto triangulari Candelabro positis, incipiendo ab ea, quae est in extremitate ejus a latere Evangelii *ex Cęrem. Episc.* & postea (ad finem secundi Psalmi) alteram extinguit, quę est in extremitate a latere Epistolę, & sic successivè, quia Apostoli paulatim defecerunt a Christo *Beleth. cap.* 101. donec post omnes Psalmos unica remaneat, quę est in cuspide, quę ibi accensa remanere debet usque ad finem Orationis post *Miserere*, ut infra dicemus. Prędictę autem quindecim candelę accenduntur in candelabro triangulari ad fidem de SS. Trinitate denotandam: quae tunc vigebat in B. V. Apostolis, & tribus Mulieribus Marię nomine insignitis: *ex Joan. Beleth. cap.* 101. Quod quidem candelabrum super unicum pedem consurgere debet, ut unus Deus in eo tribus personis distinctus mysticè designetur. Ritus quoad Lectiones, & alia particularis est, sed satis patet ex Breviario. Ad *Benedictus* Antiphona incipienda est a Superiore, seu

Hebdomadario, quæ prosequitur a Choro, & cantatur in tono Solemniori ipsius Antiphonę Canticum *Benedictus* alternatim ab utroque Choro: & cum cantatur versiculus: *Ut sine timore &c.* Acolytus qui candelas trianguli extinguit, vel alius incipit extinguere cereos Altaris singillatim hoc ordine: Ad dictum versiculum *Ut sine &c.* extinguitur primus cereus, qui est remotior a Cruce Altaris in cornu Evangelii. Ad sequentem versiculum: *In Sanctitate &c.* extinguitur secundus cereus, qui est remotior a Cruce a parte Epistolæ: & sic successivè alternatim extinguuntur singuli cerei ad singulos versiculos, ita ut nonnisi in fine versiculorum remaneant extincti. Dum autem repetitur Antiphona post *Benedictus*, idem Acolytus removet ex cuspide Candelabri candelam ibi relictam, eamque accensam sustinet genuflexus, manu elevata super cornu Epistolæ Altaris, & cum inchoatur versus: *Christus factus est &c.* illam sic accensam abscondit in eodem Epistolæ cornu sub Altare, vel alio modo post Altare, ita ut tale lumen non appareat. Chorus autem dum inchoatur *Christus factus est, &c.* genuflectit, & sic permanet usque ad finem Matutini; & dicto *Miserere* humiliori voce, ad designandum Apostolorum timorem *ex Durando*, Oratione *Respice* (non præmisso *Dominus vobiscum*, neque *Oremus*) atque ab omnibus secretò *Qui vivis &c.* Superior Chori, vel Ceremoniarius excitabit fragorem, & strepitum percutiens manu librum, aut scabellum, ac similiter omnes alii faciunt, donec Acolytus deputatus spatio unius *Pater noster*, vel circiter a fini prædicta Oratio-

tione, accensam candelam, quam tenebat occultam, in summitate Candelabri suo loco reponat; Hac enim reposita omnes a strepitu cessare debent, & Ecclesię Custodes invigilare, ne strepitus ulterius protrahatur in illis locis pręsertim, in quibus fit talis fragor cum excessu. Hujusmodi verò strepitus significat vel tenebras in Christi morte cum terremotu, vel concrepationem Judę, & tumultum cohortis. *Durand. cap.* 72. Candela illa prӕterea occultata, & rursus ostensa Populo, ut fragor cesset, vel designat Virginem Matrem, in qua super Apostolos fides excelluit, vel denotat Christum mox redivivum futurum in Resurrectione, *ex Amalar. lib.* 4. *cap.* 22. vel Fidem Ecclesię eo tempore occultatam. *Durand. supra*. Candelę demum Altaris cum aliis extinctę significant Prophetarum mortem, & Judeorum cęcitatem, ut docet *Rupert. lib.* 5. *cap.* 26.

Notandum quod Horӕ minores hoc triduo recitantur demissa voce, *ut in Rubrica propria*, quę eadem est cum antiquis, *& in Ord. Rom.* Quęrit autem Gavantus, cur demissa voce quę sunt Horę diurnę, alta vero voce Nocturnę dicantur: & respondet cum *Beleth. cap.* 102. quia Prophetӕ obscurius, sed liberius de Christo sunt loquuti. Apostoli, qui ad diem Christi, quem vidit Abraham, & gavisus est, attinent, in passione ejusdem vix audiebantur.

N A

Nativitas D. N. J. C. priscis Ecclesiӕ temporibus una cum Festo Epiphanię celebrabatur; atque adeo Epiphania, quӕ tam in Oriente, quam in Occidente die 6. Januarii celebrabatur

non solum adventum Magorum, quibus sese Christus conspiciendum prębuit, sed etiam Christi Natalem, & Baptismum signabat, ut demonstrat *Dionysius Gothofredus* ex SS. PP. *in Commentario Legis V. Theodosii Junioris de spectaculis* Anno 425. datę. Quo verò tempore pręcise Festum Natalis Christi celebrari cęperit seorsim ab Epiphania incertum est. Illud tamen pro certo statuendum, quod S. Julio Ecclesiam gubernante, talis Festivitas die 25. Decembris celebrari cępit in Ecclesia Occidentali, & etiam Orientali; Romana enim Ecclesia certius Natalem Christi diem rescire potuit, eàque de re cęteras Ecclesias docere; ex eo quod Natalis Domini dies ineunte censu ab Augusto per Quirinum in Judęa instituto evenerit, atque ista magna cura Romę servata fuerint.

• Tres Missę celebrantur, aut omnibus compertum est. Notandum est autem, quod Celebrans in prima, & secunda Missa Solemni totum diligentius sumere debet Sanguinem post unum, alterumve haustum parum inclinando Calicem super Patenam, & ferè usque ad labium Calicis deducendo remanentes guttas, eas deinde sumendo. Curabit quoque, ut nihil maneat hęrens extremitati labii Calicis ubi sumpsit, unde labio superiori oris totum exactè absumere studeat; tum Patena Calicem, & Palla Patenam tegens, ac super Corporale relinquens, dicat *Quod ore*: deinde ministrante Diacono, vel Subdiacono ampullas, & infundente vinum, & aquam, abluit digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, talisque ablutio fit non in Calice (saltem Celebrantis) sed in alio vase vitreo, vel argenteo, mundo ta-

men

men, ad hoc in Altari præparato, & interim dicit, *Corpus tuum Domine &c.*, absterſiſque purificatorio digitis, prędictum vas palla coopertum poni debet in poſteriori parte Altaris prope Corporale. Et hæc debent ſervari tam in Miſſis Solemnibus, quam privatis. Subdiaconus poſt lotionem manuum Celebrantis, non extergat purificatorio Calicem, ſed illud ad Credentiam ſine purificatorio, indeque alius Sacris initiatus eumdem Calicem in Sacriſtiam deferat; ubi ſuppoſito Corporali, in loco aliquo decenti, & clauſo ſervabitur uſque ad ſecundam Miſſam Solemniter, ſeu privatim celebrandam; in qua ad Offertorium, velo de Calice depoſito, hic parumper verſus cornu Epiſtolæ collocetur, non autem extra Corporale ob reverentiam guttularum Sanguinis, quę fortè nondum ſunt exſiccatę, ſicque accepta Patena, Hoſtiam Sacerdos offerat, quæ ſuper illam reperitur. Facta autem Oblatione, caveat Diaconus in Miſſa Solemni, & Sacerdos in privata, ne purificatorio extergat Calicem, ſed eum intra Corporale relinquens, vinum eidem caute imponat, ne guttę aliquę ad labia ipſius Calicis reſiliant, quem deinde nullatenus ab intus abſterſum, more ſolito offert. Ad Conſecrationem autem hanc poterit habere intentionem, quod ſcilicet velit conſecrare totum, & ſolum illud, quod conſecrabile reperitur in Calice. Prętat tandem in ſecunda, & tertia Miſſa Sanguinem ſumere per eamdem Calicis partem, per quam ſumptio facta eſt in prima.

Sacerdos qui privatè celebrat tres Miſſas hac die, poteſt eas celebrare ſimul ſucceſſivè, ideſt unam immediatè poſt aliam, dummodo non ce-

lebret primam ante Auroram, nam ex Decretis S. R. C. prohibetur post primam decantatam in Nocte, & ante Auroram successivè celebrare alias duas Missas, & in eis Sacram Communionem exhibere Fidelibus; Potest etiam Sacerdos tres prędictas Missas pro libito interpolate celebrare, spatium aliquod nempe interponendo inter primam, & secundam, inter secundam, & tertiam; sed quando illas hoc modo celebrat, Calicem custodiat, ut supra innuimus de prima Missa Solemniter Celebrata. Parochi, vel Cappellani non tenentur hac die ad tres Missas celebrandas, modo tamen absit scandalum: ita tenent cum *Gavanto*, Bonacina *disp. 4. quęst. ult. part. 11. n. 10. &* Gobat *tract. 3. num. 186.* eo quod dicere tres Missas eo die sit privilegii, non præcepti, nullumque extet Ecclesiæ præceptum plures quàm unam hac die Nativitatis audiendi Missam.

Sacerdos, qui ex rationabili de causa unam tantum hac die Missam resolvit celebrare, vel primam, vel tertiam *ex Gavanto* celebrare debet, & potius tertiam, quàm primam, utpote quę maximè est de die, habetque Orationem diei propriam, ac cum ipso Officio Divino convenientem. Alii autem apud *La Croix tom. 6. lib. 6. part. 2. num.* 527. censent, dicendam esse illam Missam ex tribus Festi propriis, quę tempori, quo celebratur est accomodata: adeoque si Sacerdos præfatus celebret in noctę, debet accipere primam Missam, si in Aurora secundam, in pleno autem die tertiam; Et quamcumque legat debet in ea, ex eodem Auctore, facere Commemorationem de S. Anastasia: Verum *Meratus* cen-

censet, eam non esse faciendam, nisi celebretur in Aurora, & legatur secunda Missa.

O C

OCcurrentia Divini Officii: Vide *Translatio Festorum*.

Octava ab antiquissimis Ecclesiȩ temporibus ad majorem Solemnitatem prȩcipuarum Festivitatum celebratur; unde *Radulphus Tungrens. prop.* 19. ait: *Magnitudo Festi a nobis exigit, ut prius illud incipiamus, & tardius terminemus. Prȩvenimus Vigilia; prorogamus cum ad Octavarum diem Festum protendimus: prȩveniamus ergo, & prorogemus, ut ardentius quod debemus recolamus, quæquè uno die minus possumus, reliquis diebus compensemus*.

• Occurrente Vigilia, vel Feria aliqua majori infra aliquam Octavam, Missȩ non solum Conventuales, (ut docet *Gavant.*) sed etiam privatȩ, dici debent de tali Vigilia, aut Feria cum Commemoratione Octavȩ, licet in tali casu Missa discordet ab Officio, sȩpius enim infra Octavam repetitur eadem Missa illius Festi, de quo fit Octava; & idcirco dispositum fuit, ut cedat Missa de Octava Missȩ propriȩ de Vigilia, vel alia Feria majori, quȩ in illa die dici debet tamquam propria illius diei. Excipienda est tamen Octava Corporis Christi, infra quam occurrente Vigilia ex. gr. S. Joannis Baptistȩ, vel SS. Apostolorum Petri, & Pauli Missa ex Rubrica Missalis recogniti ab Urbano VIII. dici debet de Octava cum Commemoratione Vigiliȩ.

• In Cathedralibus, & Collegiatis occurrente Vigilia, vel Feria aliqua majori in die infra aliquam Octavam, ex *Gavant. Quarti, Turrino*, &

& aliis unica tantum dicitur Missa Conventualis, nempe de Vigilia, aut Feria Majori. Nam, a Rubrica peculiari Missalis in Vigilia Assumptionis, & in Vigilia SS. Apostolorum Petri, & Pauli cadente in Sabbato, quando dies S. Leonis cadit in Dominica, non pręscribuntur duę Conventuales sed una tantum de Vigilia.; Qua propter idem dicendum de omnibus Vigiliis, & Feriis majoribus cadentibus infra Octavas. Parique ratione qui ex privilegio tempore Quadragesimę aliquod Festum celebrant cum Octava, licet diebus occurrentibus infra dictam Octavam Officium recitent de Octava, Missas tamen tum Conventuales, tum privatas dicere debent de Feria cum Commemoratione Octavæ; quæ quidem Commemoratio Octavę facienda non est in Feria IV. Cinerum, occurrente infra dictam Octavam neque in Laudibus neque in Missa. Et hæc ex Decretis *S. R. C.* 24. *Jan.* 1682.

Notandum tamen, quod tam a dictis Privilegiatis in Quadragesima, quam ab aliis in Vigiliis, aut Feriis majoribus, Missę privatę dici possunt de Sancto, cujus celebratur Octava, more Votivo sine *Gloria*, & sine *Credo* cum Commemoratione Ferię, & Evangelio S. Joannis in fine. Et si infra Octavam alicujus Sancti in die, in quo non fit Officium de Octava, sed de alio Sancto Semiduplici petatur Missa Votiva ejusdem Sancti, de quo celebratur Octava, dici debet more Votivo, ut supra. Et hoc idem dicendum est de Missa B. M. V. nam ex Decr. *S. R. C.* 2. *Dec.* 1684. qui celebrat Missam de B. M. V. eo die, quo fit de aliquo Festo Semi-

du-

duplici infra Octavam ejusdem B. M. V. debet dicere Missam de Octava, sed more Votivo sine *Gloria*, &c. sine *Credo* nisi fuerit Sabbatum, quia tunc dicenda erit *Gloria*, sine *Credo*.

Octavę, *ex Decr. Urbani VIII.* interdictę sunt a die 17. Decembris, usque ad Epiphaniam.

* Pro Defunctis nemini licet facere Octavas sine speciali Indulto Sedis Apostolicę, neque intuitu alicujus Altaris Privilegiati in aliqua Ecclesia &c. *S. R. C.* 13. *Aug.* 1667.
* Infra Octavas privilegiatas, scilicet, Nativitatis, & Epiphanię Domini, Paschę, Pentecostes, & Corporis Christi celebrari non possunt Missę Votivę privatę, & de Requiem nec privatę, nec Solemnes nisi præsente Corpore insepulto.

Octavæ aliæ sunt privilegiatæ, aliæ non privilegiatæ: ex privilegiatis verò aliæ magis, alię minus privilegiatæ; unde Octavarum differentia ad quatuor Classes, seu gradus, ut ait *Gavant.* potest revocari. In primo gradu sunt duę; nempe Octava Paschę, & Pentecostes, in quibus de nullo Festo, etiam primę Classis, potest celebrari Officium, nec fieri Commemoratio de Octava alicujus Festi, sed tantum Festi Simplicis occurrentis, tamen post primum earum triduum, tres enim primi dies utriusque Octavę prędictę, utpote primi Classis, etiam Festi Simplicis Commemorationem excludunt. In secundo gradu est Octava Epiphanię, intra quam Festum Patroni principalis, Titularis, & Dedicationis Ecclesiæ tantum celebrari potest, semper tamen cum Commemoratione Octavę tam in Officio, quam in Missa. In ipsa autem die Octava Epiphaniæ, nullum Festum etiam primę Classis ce-

celebrari permittitur : In tertio gradu Octava Corporis Christi recensetur , quę admittit Duplicia tantum infra eam occurrentia , non autem translata , nisi sint ex Solemnioribus primę , vel secundę Classis , *ex Decr. S.R.C.* 30. *Maii* 1698. in quo declaratur , infra Octavam SS. Corporis Christi recitari posse Officium de Duplici primę , & secundæ Classis , etiam translato ; non autem in die Octava , in qua nec etiam potest recitari de Duplici secundę Classis occurrente . Notandum autem , quod in Festis etiam primæ Classis infra hanc Octavam , semper facienda est Octavæ Commemoratio tam in Officio , quam in Missa . Notandum pariter , quod infra Octavam Corporis Christi , quando Officium fit de Octava , fieri debet Commemoratio Festi Simplicis occurrentis , sed de eo non legitur nona Lectio , si autem Officium fiat de aliquo Festo (dummodo non sit primę Classis) legenda est etiam nona Lectio de S. Simplici si occurrat : & hoc ex pluribus S. R. C. Decretis . Notandum item Octavam SS. Corporis Christi , utpote magis privilegiatam , pręferendam esse Octavę SS. Trinitatis ubi est Titularis ; & hoc constat *ex Decr. S. R. C.* 8. *Jun.* 1709 in quo hęc habentur : Diebus sexta , & septima infra Octavam SS. Trinitatis , ubi est Titularis , faciendum est Officium de die secunda , & tertia infra Octavam Corporis Christi , cum Commemoratione SS. Trinitatis . Notandum denique , quod si Festum S. Joannis Baptistæ , sive aliud ex Solemnioribus venerit in die Corporis Christi , Officium S. Joannis singulari privilegio transfertur in sequentem diem a quocumque officio novem Lectionum

e-

etiam impeditam cum Commemoratione Octavæ: sed in secundis Vesperis Corporis Christi fit Commemoratio tantum S. Joannis. Cętera vero Festa Solemniora occurrentia in dicta die Corporis Christi transferantur infra Octavam in primam diem non impeditam. Ita *S. R. C. die* 23. *Jun.* 1736. Dies autem Octava S. Joannis veniens tunc in Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo Anno fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa. Occurrentibus autem eodem die infra Octavam Corporis Christi duobus Festis Duplicibus, non est de translato agendum die immediatè sequenti non impedita (nisi esset sub Ritu Duplicis primæ, vel secundę Classis) sed post Octavam. *S. R. C.* 7. *Dec.* 1680. Quod idem dicendum est de Duplici occurrente in ipsa die Corporis Christi, quod non die immediatè sequenti, sed post Octavam transferendum est. In quarto tandem gradu Octavarum, aliæ omnes *a Gavanto* recensentur Octavæ non privilegiatæ, infra quas fit non tantum de Festo Duplici, & Semiduplici quocumque tunc occurrente, sed etiam de Duplici quocumque translato: cum Commemoratione tamen Octavę, nisi Festum illud occurrens sit primę, aut secundę Classis, tunc enim nec in Officio, nec in Missa fit Commemoratio de die infra Octavam non privilegiatam. Excipitur tamen Octava Nativitatis Domini, nam de hac semper fit Commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa quocumque Festo etiam primę Classis occurrente. Notandum autem, quod Festa ad libitum, quę cadunt infra aliquam Octavam celebrari non possunt *S. R. C.* 24. *Jan.* 1682.

1682. *&* 15. *Mart.* 1698. Notandum item, quod Semiduplicia translata in duobus tantum casibus celebrari possunt infra Octavas non privilegiatas: nempe quando Semiduplex occurrit in Dominica infra aliquam ex prędictis Octavis, & in Festo Ascensionis: tunc enim transfertur Semiduplex in diem proximè sequentem, si non fuerit Festo alio Duplici, vel Semiduplici impedita, nam si talis Feria secunda, aut sexta post Ascensionem fuerit prędicto modo impedita, tunc Festum illud Semiduplex debet transferri post Octavam, ita ut tale Festum, *ut ait Rubr. de Transl. Fest. n.* 5. infra Octavam non transferatur, nisi in proximè sequentem diem. Et hic quidem notandum occurrit, quod si Semiduplex incidat in Festum habens Octavam, vel in Dominica infra Octavam (non privilegiatam) & dies immediatè sequens non sit impedita, sed restet celebrandum Duplex prius translatum, die tamen immediatè sequenti Festum Semiduplex celebrari debet, Duplex illud ulterius transferendo: quod idem a fortiori de alio Semiduplici prius translato dicendum est. Et hęc ex Decreto *S. R. C. dato sub die* 23. *Jun.* 1736. in quo sequentia, quę prius ediderat Decreta eadem S. R. C. adiri jubet. Nempe: Festum Semiduplex incidens in Festo Duplici infra Octavam non privilegiatam transferendum est in diem immediatè sequentem Festo novem Lectionum non impeditam, ut fit de Semiduplici occurrente in Dominica infra Octavam non privilegiatam. *S. R. C.* 30. *Sept.* 1679. De Festo translato faciendum est Officium die immediatè sequenti, etiamsì adsit aliud ejusdem dignitatis Festum prius translatum. *S. R. C. supra*.

Octa-

Octavæ dignitas major, prçfertim si duç occurrant simul celebrandç ex Festi Dignitate majori desumenda est, Festa enim primæ Classis digniora sunt Festis secundç Classis; in eadem vero Classe personarum dignitas attendenda est, hoc ordine: Christum, B. Virginem, Angelos, S. Joannem Baptistam, Apostolos, (& Evangelistas, qui in æquali cum Apostolis dignitate constituti habendi sunt,) & alios juxta ordinem Litaniarum; & cçteris paribus dignior est ea Octava, quam celebrat universalis Ecclesia. Et licet *Guyetus* doceat, quod Octava utpote quid accessorium sequitur naturam Festi, tamquam sui principalis, & Decretum adsit *S. R. C.* 12. *Jul.* 1704. in quo præscribitur, præferenda esse Festa particularia Festis universalibus, unde sequi videretur, Octavas horum Festorum particularium prçferendas esse Octavis Festorum universalium: Idem tamen *Guyetus*, cum Gavanto, quibus etiam *Meratus* adhçret, asserunt, Octavas universales cçteris paribus preferendas esse Octavis particularibus, ex eo quod istç concessç sunt aliquibus Festis universalibus de prçcepto Ecclesiç servandis Ritu Duplici primç, vel sçcundæ Classis gaudentibus, & ut plurimum Vigilia cum Officio, & Jejunio insignitis. Et equidem *S. R. C.* *die* 21. *Aug.* 1688. statuit Octavam S. Joannis Baptistç prçferendam esse Octavæ Dedicationis Ecclesiç. Quæ quidem Octava Dedicationis dignior est, *ex Gavanto*, Octava Patroni loci, seu Tituli Ecclesiç; cujus sententiç *Guyetus* neque assertor, neque impugnator est, sed media via incedendo, existimat hac in re servandam esse consuetudinem Ecclesiarum; *Meratus* vero censet, quod

quod si Patronus, vel Titularis Ecclesiæ fuerit B. M. V. & juxtà Decretum *S. R. C*: 21. *Aug.* 1688. S. Joannes Baptista, vel SS. Apostoli Petrus, & Paulus, debeat fieri de Titulari cum Commemoratione Dedicationis: in reliquis pręferenda Octava Dedicationis; quia, ut ait Gavantus *ex S. Thom. lect. 5. in cap. Jo. 10.* Beneficia toti Ecclesię collata, quę in Festo, & Octava Dedicationis Ecclesię recoluntur, superant beneficia cuivis Sancto donata: ex quo sequitur, ut docet idem *Gavantus*, digniorem esse Octavam Assumptionis Beatę Virginis, quam Octava Dedicationis, quia majora beneficia contulit Deus uni Deiparę in ejus Assumptione, quam contulerit toti militanti Ecclesię: ex quo pariter colligit *Guyetus*, nullam pariter Octavam etiam Dedicationis esse pręferendam Octavę omnium Sanctorum, quia Sancti omnes simul sumpti, & pręstant singulis seorsim; & sunt ipsimet tota Ecclesia, non jam militans, sed triumphans. Quod Decreto S. R. C. confirmatur de die 5. *Mart.* 1695.

Octava dies, quia non transfertur, excludit, & transferri facit Festum Duplex in ea occurrens sive majus, sive minus. Ex pluribus enim S. R. C. Decretis constant, quod dies Octava cedit tantum Duplicibus primæ, & sęcundę Classis, in quibus fit tantum Commemoratio de die Octava, ut dictum est verb. *Commemoratio*. Excepta tamen die Octava Nativitatis, quę est secundę Classis, & Epiphanię D. quę est privilegiata ob Baptismum Christi, hę namque excludunt Festa omnia, etiam primę Classis. Cedit item dies Octava Dominicis, quę excludunt Fe-

Festa Duplicia per Annum, puta Septuagesimę, Sexagesimę, & similibus, in quibus fit tantum Commemoratio de die Octava. Atque in primis Vesperis communibus diei Octavę, & Dominicę privilegiatę, recitandi sunt Psalmi Sabbati, a Capitulo autem de Dominica, cum Commemoratione diei Octavę ut in primis Vesperis Festi. Ita decrevit *S. R. C. die 9. Nov. 1622.* petente Gavanto. Et si in Sabbato illo occurrat Festum Semiduplex, Antiphonæ, & Psalmi in dictis Vesperis erunt de Festo Semiduplici, Capitulum de Dominica, Commemoratio primum de Semiduplici, quod habet dimidium Vesperarum, & deinde diei Octavæ. In secundis item Vesperis eadem Dominica sedem sibi acquisitam conservat, ita ut de die Octava fiat tantum Commemoratio ut in secundis Vesperis Festi; quod si Dominica ipsa concurrat cum sequenti Festo Duplici, adhuc Commemoratio diei Octavę post Dominicę Commemorationem fiet, non autem si concurrat cum Semiduplici: tunc enim Vesperę erunt de Dominica cum Commemoratione diei Octavæ, deinde Semiduplicis. Si demum aliqua Dominica privilegiata occurrat in die aliqua infra Octavam, debet fieri Commemoratio Octavę tam in primis, quam in secundis Vesperis, & Laudibus, & omittuntur Suffragia Sanctorum, nec non Preces ad Primam, & Completorium. *Rubr. Brev. Ord. Minor. S. Franc. a S. R. C. approbatę.*

Octava dies si concurrat cum alia die Octava (sicut etiam cum Duplici minori etiam translato) fit regulariter a Capitulo de sequenti cum Commemoratione præcedentis, excepta Octava Corpo-

po-

poris Christi concurrente cum Octava S. Joannis Baptistæ, de quo fit tantum Commemoratio, & quando in Breviario aliter notatur, ut in Octavis SS. Stephani, & Joannis Evangelistę &c. Si concurrat Octava dies cum Duplici majori fit totum de sequenti cum Commemoratione precedentis diei Octavę. Excipiendę tamen sunt dies Octavæ Epiphanię, Paschę, Ascensionis, Corporis Christi, aliorumque Festorum Domini; licet enim non sint revera Duplicia majora, in concurrentia tamen cum Duplici majori, primas, & secundas Vesperas integras habere debent. Et hic notandum occurrit, quod dies Octava Corporis Christi, licet dignissima, si tamen ea die occurrat Festum Nativitatis S. Joannis Baptistę, vel Apostolorum Petri, & Pauli, Patroni loci, Tituli Ecclesiæ, & Dedicationis ejusdem, sola gaudet Commemoratione: Festa verò secundę Classis cedere debent prædictæ diei Octavę.

Octava dies Festorum omnium B. M. V. Octavam habentium, concurrens cum Officio Duplici minori, habere debet integras Vesperas. *S. R. C.* 1. *Mart.* 1681. *&* 11. *Aug.* 1691. Quando tamen duę Octavę simul occurrunt, quarum una sit Patroni principalis sub Ritu Duplici primæ Classis, altera verò B. M. V. sub Ritu Duplici secundę Classis, recitandum est Officium infra Octavam (*sicut etiam in ipsamet die Octava*) de Patrono principali cum Commemoratione Octavę Beatissimę Marię Virginis *S. R. C.* 19. *Jun.* 1700. eodemque Die, & Anno hoc aliud ab eadem S. R. C. Decretum editum fuit. Si in Dominica infra Octavam Nativitatis Beatissimę Mariæ Virginis, in qua Celebratur Festum SS. Nominis e-

ejusdem B. M. V. sub Ritu Duplici majori, occurrat alicubi dies Octava, translato Festo dicti SS. Nominis, agendum est de die Octava in ipsa Dominica. Quod quidem intelligendum est de Octavis, quæ non sunt de B. M., quando scilicet Octava Nativitatis B. M. V. occurrit in Dominica, quia in eo casu erit celebrandum Festum de SS. Nomine, sine Commemoratione Nativitatis ejusdem. *Eadem S. R. C.* 15. *Sept.* 1685.

Octava transferri non debet, si Festum transferatur; Et notandum, quod si Festum transferatur post suam Octavam, vel si celebretur in die ejus Octava, tunc eo Anno sine Octava celebratur, nisi habeatur speciale privilegium, quale habent Monachi Cassinenses pro Octava S. Benedicti, & PP. Minimi pro Octava S. Francisci de Paula. Si autem Festum habens Octavam, infra ipsam Octavam transferatur, tunc prędictum Festum aliqua ejus Octavę parte gaudebit, diebus scilicet, qui supersunt a die celebrationis Festi ad diem quę Octava fuisset, si Festum in die propria fuisset celebratum. Excipiendum tamen est Festum Annunciationis B. V. M. quod etsì aliquando post Octavam transferatur Feria II. post Dominicam in Albis, quia tamen prędicta Feria est dies ita fixa, & propria memorato Festo Annunciationis, ut quodcumque aliud occurrens Festum excludat, dummodo non sit primæ Classis; in iis propterea Ecclesiis, in quibus Annunciatio est Titulus, debet absque dubio celebrari cum Octava, ut sentit *Meratus*, qui *Fagioli* auctoritatem affert *In Calend. perp. Ration. in Adnotat. ad Mens. Mart. Lit. L. n.* 2.

Quod enim fieri nequit tempore prohibito, fieri potest tempore permisso.

Octavę in postrema recognitione Breviarii excluduntur a die 17. Decembris usque ad Epiphaniam, sicut etiam per totam Quadragesimam. Quapropter inchoata aliqua Octava, & supervenientibus prędictis temporibus, cessari debet ab ipsa Octava non tum completa. Atque, ut docet *Gavant. sect.* 3. *cap.* 3. *n.* 9. in eo saltem casu, in quo dies Octava incidit in diem 17. Decembris, aut in Feria 4 Cinerum, seu Vigilia Pentecostes, Octava pridię terminanda est ad Nonam, adeoque in Vesperis consequentibus agendum est de Feria: absurdum enim esset pridie facere primas Vesperas de die Octava, de qua sequenti die nihil omnino ad Matutinum, Laudes, & secundas Vesperas faciendum sit. Quod quidem intelligendum non est de quocumque alio die infra Octavam inchoatam: Guyetus enim *lib.* 4. *cap.* 12. *quæst.* 6. optimè quidem docet contra id quod præscribit Cęremoniale Monasticum *lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 6. Officium cujuslibet alterius diei infra Octavam non terminari ad Nonam, sed habere insuper (si nullum saltem sequatur Festum) Vesperas, & Completorium, quę non possunt illi detrahi ob sequentem Feriam, cujus Officium inchoatur dumtaxat a Matutino.

* Notandum autem, quod ex privilegio Clementis IX. sub die 20. *Mart.* 1668. & 16. *Febr.* 1669. Moniales Conceptionis B. M. V. Immaculatę in Campo Martio de Urbe, & Clementis X. sub die 31. *Dec.* 1672. tota Cassinensis Congregatio, tam Monachi, scilicet, quàm Moniales ei-

eidem Congregationi subjectę Festum S. Benedicti, & S. Scholasticę in eorum Ecclesiis celebrant cum Octava, etiam tempore Quadragesimæ. Quod pariter privilegium *S. R. C.* 17. *Feb* 1672. Congregationi Hispaniarum Vallis - Oletan. Ordinis S. Benedicti concessit. Eadem tamen *S. R. C. die* 24. *Jan.* 1682. statuit: quod qui habent privilegia celebrandi Octavas in Quadragesima, non ideo debent facere Commemorationem in Feria IV. Cinerum (etiamsì hęc Feria IV. esset dies Octava, tunc enim Octava ipsa cessat ad Nonam præcedentis diei *ex alio S. R. C. Decr.* 23. *Jun.* 1736.) Ulterius eadem S. R. C. declaravit, quod in prędicto Officio Ferię IV. Cinerum relinquendo Commemorationem Octavæ, debent dicti privilegiati dicere Preces, Psalmos Graduales, & servare omnino Rubricas dictę Feriæ IV. Cinerum. Idemque confirmatur Decreto supra citato *de die* 23. *Jun.* 1736.

Octava de Patrono principali loci a Regularibus non celebratur: neque potest ab iis celebrari ad libitum *ex Decr. S. R. C.* 11. *Feb.* 1702. nisi ad eam tenerentur ex vi Apostolicæ concessionis, vel ex Constitutione Religionis ab Apostolica Sede approbata *ead. S. R. C.* 10. *Mart.* 1638.

Officium Divinum quid, in quot partes dividatur: V. *Horę Canonicæ*. Huc tamen nonnulla spectant Sacrę Rit. Congregationis Decreta, nimirum.

Officium debitum non est relinquendum pro alio Officio devotionis *S. R. C.* 29. *Nov.* 1603. Episcopus Regularis debet Officium recitare juxtà Ritus suæ Dięcesis, non Regulæ: & occurrente Festo regulę in Festo Dięcesis, hoc præferri debet: *S. R. C.* 11. *Jun.* 1605. Cappellani

Episcopi, qui cum eo recitant Officium, debent se illi conformare. *Ead. S R. C. eodem die*. Qui sunt de gremio Ecclesiæ, debent recitare Officium, quod in Choro dicitur, & licet extra Ecclesiam, vel Diœcesim morentur, decet eos recitare Officium proprium Ecclesiæ ipsorum. *S. R. C. 8. Sept.* 1602. Clerici licet adscripti alicui Ecclesię, & ejusdem servitio, non tamen obligati Choro, & quicumque alii Clerici Sęculares, & Regulares in Civitate, vel Diœcesi commorantes, non teneantur recitare Officia propria Sanctorum illius Diœcesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in Choro. *Ead. S. R. C. die qua supra*. Locorum Ordinarii tàm Sęculares, quàm Regulares non possunt addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quę Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur: sub pœna, quod non fiat satis obligationi recitandi Divini Officii. *S. R. C. 8. Apr.* 1628. Quod postea Decretum approbavit Urbanus VIII. Recitatio Officii de Beatis non Canonizatis, non est satisfactoria pręcepti, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulsit. *S. R. C. 27. Sept.* 1659. Denique non potest fieri mutatio Ritus, scilicet, ut Duplici Ritu celebretur Festum, quod aliàs Simplici sub Ritu, vel Semiduplici decretum est. Sacra tamen Rituum Congregatio *die* 23. *Nov.* 1602 decrevit, quod de Sancto, cujus insignis Reliquia habetur, fieri potest Officium Duplex minus in ejus Festo, dummodo sit Reliquia approbata. Quę verò sit insignis Reliquia, diximus in Prima Parte verb. *Symbolum*. Quę

Quę autem Intentio, Attentio, quęquè prolatio verborum in Officii Divini recitatione necessaria sit, ut venialia etiam arceantur crimina, consule *S. Thom. Navar. Azor.* atque alios.

Officia ad libitum non sunt transferenda. Sed Vide *Festa ad libitum*. Ad quorum classem revocantur etiam Officia semel, vel plures in Mense, vel Hebdomada recitari concessa aliquibus Religionibus; sive Ecclesiis: ita ut pro die impedito Festo Duplici, vel Semiduplici respectu talium Officiorum intelligatur etiam dies, in quo ponendum est Officium de Eesto Duplici, vel Semiduplici translatum, & dies infra Octavas. *Ex Decr. S. R. C.* 20. *Mart.* 1706. Immo ex alio Decreto sub eadem die a S. R C. edito, hujusmodi Officia non habent locum in Feriis Adventus, Qnadragesimę, Quatuor Temporum, Vigiliarum sive cum Jejunio, sive absque Jejunio, nec in Feria 2. Rogationum, nec in alia Feria, iu qna secundus Rubricas sit reponendum Officium Dominicę. In Sabbato autem quando fieri deberet de S. Maria in Sabbato recitari possunt *S. R. C.* 7. *Febr.* 1699.

Officia pariter, pro aliquibus locis tantum concessa, quibus assignata est dies aliqua Dominica, occurrente in ipsa Dominica Festo altioris Ritus, non sunt transferenda, sed omittenda. *S. R. C.* 20. *Mart.* 1683. Officium tamen Patrocinii S. Joseph, ex alio Decr. *S. R. C.* 11. *Jan.* 1749. transferri potest. Officia item generalia pro omnibus locis concessa, possunt, immo debent transferri licet alicui Dominicę affixa sint: v. gr. Officium SS. Nominis Jesu, quod Dominicæ secundę post Epiphaniam affixum est pro Ecclesia

Universali, si eo die celebrari non potest, quia forte occurrit Dominica Septuagesimę, transferendum est ad diem 28. Januarii tamquam diem propriam, *ex Decr. S. R. C.* 22. *Jan.* 1735.

Officium Kalendarii particularis Officio Kalendarii universalis pręferri debet in paritate Ritus, & sine excellentia majoris Dignitatis, *ex Decr. S. R. C.* 12. *Jul.* 1704. aliisque plurimis.

Officia Sanctorum, quę in toto Anni decursu celebrari non possunt transferenda non sunt ad Annum sequentem (*qui a Kalendis incipit Januarii*) sed etiamsì sub Ritu Duplici sint Sancti illi, considerandi sunt eo Anno tamquam Simplices, faciendo illorum Commemorationem diebus eorum propriis in utrisque Vesperis, & Laudibus, cum nona Lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum Lectionibus propriis secundi Nocturni ad modum unius. *S. R. C.* 26. *Nov.* 1735. Quod Decretum intelligendum est etiam de Festo S. Silvestri occurrente in die Dedicationis proprię Ecclesię, quod nempe sit celebrandum in ipsomet die Officium Dedicationis cum Commemoratione S. Silvestri, ut declaravit eadem *S. R. C.* 23. *Jan.* 1745.

Officium ad libitum, quod non potest celebrari, si habuerit etiam Ritum Simplicem de pręcepto, eo Anno non omittatur, sed celebretur sub Ritu Simplici *S. R. C.* 13. *Jun.* 1682.

Officium particulare alicujus Diœcesis, vel Religionis, quod occurrit die 25. Februarii, est transferendum in Anno Bissextili ad primam diem non impeditam Officio novem Lectionum (nisi esset Festum Tituli, seu Patroni Ecclesiæ) ut fiat Officium S. Mathiæ Apostoli. *S. R. C.* 7. *Dec.* 1680.

Officium S. Mariæ in Sabbato fit omnibus Sabbatis non impeditis, ut disponit *Rubrica de S. Maria in Sabbato*: & notandum, quod in Completorio Feriæ sextæ quamvis sit de Festo novem Lectionum, in fine Hymni jus habet B. V. ut dicatur: *Jesu tibi sit gloria*, *qui natus es de Virgine*: nisi Festum sit Transfigurationis Domini, quod habet porprium finem omnibus Hymnis illius diei destinatum, & Festum est Domini.

Officium parvum B. M. V. a Petro Damiani ante Annum 1056. ut ait *Baron. eod. Ann.* institutum fuit; verum ejusdem Damiani vitæ Scriptores dignissimi, nimirum Joannes Antonius Flaminius, Augustinus Fortunatus, & Hieronymus Rubeus: asserunt Clarissimum laudatum Virum ejusdem Officii restauratorem potius, quam institutorem fuisse, ut cujus Officii desuetudo paulatim in suis Monasteriis irrepserat, ipso urgente, & procurante ad pristinam observantiam revocaretur.

• Extra Chorum nemo tenetur hoc Officium recitare. In Choro autem, quando recitari debeat, constat ex Rubricis Breviarii proprio loco circa finem; & dicitur hoc modo: præponitur Officio diei in Matutinis, & Vesperis: in aliis Horis postponitur. Sacra autem Rituum Congr. *die 1. Sept. Ann.* 1607. decrevit servandam esse quoque eam consuetudinam, qua recitatur in Choro hoc Officium in Semiduplicibus; & Dominicis, non obstante Rubrica Breviarii; quia Pius V. in Bulla Breviarii habet hæc verba: *Sine præjudicio Sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. V. in*

Choro dici consueverat , ita ut in prędictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis consuetudo celebrandi more solito prędictum Officium .

• Notandum autem , quod prædictum Officium parvum non dicitur in Vigilia Nativitatis D. quod notatum etiam reperitur in Brev. MS. nec in Feriis Majoris Hebdomadę , ut uni Christo vacemus : nec infra Octavam Paschę , quod & tradit *Radulph. prop.* 20. nec infra Octavam Pentecostes, ut in Brev. MS. nec in Sabbatis quando fit Officium de B. Maria , ne bis , ait *Radulph.* videatur dici idem Officium , quibus diebus omittitur a primis Vesperis , & in Vigilia Nativitatis a Matutino , ut in Brev. MS.

• Proposita est Indulgentia centum dierum recitantibus dictum Officium juxta Rubricas Breviarii a Pio V. *in Bulla ejusdem Breviarii .*

Officium Defunctorum dictum est *Agenda* a Walfrid. *cap.* 25. *& a Durand. lib.* 7. *cap.* 35. quia *Agere* significat *Celebrare* . Item *Exequię* ab Augustino quia , ut ait Mutius Cappuccinus *de Off. Mort. cap.* 6. executioni mandanda est Defunctorum voluntas .

• Quando autem Officium hoc dicendum sit in Choro , patet ex Rubrica in proprio loco circa finem Breviarii .

• Notandum tamen , quod Vesperę recitari debent post Vesperas , etiam Festi Duplicis , si Feria sequatur , ut in Brev. MS. Et *S. R. C.* 23. *Maii* 1603. pro prima die mensis , si hæc sit libera Festo 9. Lectionum , decrevit Vesperas Defunctorum recitandas esse ultima die pręcedentis Mensis , licet ea sit Festiva de pręcepto , ut populus frequens post auditas Vesperas Dominicę

vel

vel Festi, audiat statim & Vesperas Defunctorum pro Suffragiis generalibus.

* Notandum item, quod in fine Vesperarum, & Laudum dicuntur Preces semper genibus flexis etiam quando omittuntur Psalmi *Lauda anima mea &c.* in Vesperis, & *De profundis* in Laudibus: qui quidem Psalmi omittuntur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, & in die Obitus, seu Depositionis Defuncti tantum, *ex Decr. S. R. C.* 23. *Jun.* 1736. & 3. *Aug.* 1737. Quæ Decreta eadem S. R. C. confirmavit *die* 8. *Mart.* 1738. doctissimę adhęrens consultationi ab Illustrissimo Domino Venantio Philippo Piersantes Apostolicarum Cęremoniarum Magistro coram Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus expositę, in qua optimè demonstratur prædictos Psalmos omittendos non esse quandocumque Officium fit Ritu Duplici (quod fit tantum in Commemoratione omnium Def. in die Depositionis, in die tertio, septimo, trigesimo, & Anniversario) sed tantum in prędictis diebus Commemorationis Omnium Def. & Depositionis alicujus Defuncti. Versus, qui dicuntur post prædictos Psalmos, si pro uno fit Officium, dicuntur in numero singulari, sicut & Oratio sequens. Reliqua in toto Officio non mutantur, neque versus post Orationem, nempe: *Requiem æternam dona eis Domine*, & *Requiescant in pace*: quia Ecclesia in eis pro omnibus orat, etiamsi Officium fiat pro uno.

Officium Defunctorum quando recitari debet pro adimplenda Testatorum voluntate, iis etiam diebus recitari potest, *ex Gavanto*, in quibus prohi-

be-

betur Missa de Requiem, cum illa tamen exceptione primę, & secundę Classis, quam idem proponit Gavantus. Si autem sermo sit de die Obitus, seu Depositionis Defuncti, cum duo dumtaxat dies sint, in quibus liberum non est Corpus Defuncti sepulturę traderę, nempe dies Parasceves, & dies Paschæ, *ex Ritual. Rom.* Pauli V. tunc liberum non est iis diebus publicę Officium Defunctorum persolvere, quibus (quoad publicam Officii recitationem) addendi sunt etiam Feria V. in Cęna D. & Sabbatum Sanctum, in quibus S. R. C. Decreto *sub die* 11. *Aug.* 1736. vetuit celebrari exequias Defunctorum, permittens recitari Officium, & Preces privatim tantum. Et laudanda est aliquarum Ecclesiarum consuetudo, quę in Festis Solemnioribus hujusmodi Officium sub Vesperum post expletum diei Officium differunt.

* Invitatorium quando dici debeat in hoc Officio diximus verb. *Invitatorium*,
* Extra Chorum nulla est recitandi hujusmodi Officii obligatio, ut *in Bulla Pii V.* in qua tamen idem Sanctus Pontifex ad illud recitandum exhortat, proposita centum dierum pro unaquaque vice ad pręscriptum Rubricarum Indulgentia.

Officium Divinum, seu Horę Canonicæ dum recitantur in Choro non sunt celebrandę Missę privatæ in Altari Majori *S. R. C.* 2. *Maii* 1620.

Orationes, quæ per singulas Anni Festivitates dicuntur in Missa, & in Officio, S. Ambrosius primum composuit, *ex Gemma lib.* 1. *cap.* 87. & Gelasius Papa illas auxit postea, & limavit, *ex Sigeb. A. D.* 487. Ac S. Gregorius deinde, quibusdam additis, vel detractis, in ordinem, &

Li-

Librum Sacramentorum redegit. *Walfrid. Strabo de reb. Eccl. cap.* 22. & *Microlog. cap.* 61.

Oratio unica in Missa majorem denotat Solemnitatem; & in Duplicibus etiam minoribus una tantum dicitur Oratio, nisi aliqua Commemoratio facienda sit; in qua Commemoratione facienda, ea servari debent, quæ diximus verb. *Commemoratio*.

• In Festis Semiduplicibus occurrentibus ab Octava Epiphaniç, usque ad Purificationem, in Missa dicitur secunda Oratio: *Deus, qui salutis &c.* tertia, *Ecclesiç*, vel *Deus Omnium Fidelium* pro Papa. Notandum tamen, quod si transferatur Officium Purificationis, non est continuanda dicta Oratio *Deus, qui salutis*, usque dum factum sit Purificationis Officium, sed in Festo Semiduplici secunda Oratio tunc erit *A cunctis*, tertia ad libitum usque ad Feriam 4. Cinerum; quod a S. R. C. decretum fuit *die* 14. *Febr.* 1705. Et si ratione Mensis, aut Feriç II. dicenda sit Oratio *Fidelium*, cum hæc semper dici debeat penultimo loco, tunc pro tertia Oratione dicenda erit quæ secundo loco dici debuisset, nempe *Deus, qui salutis*, vel *A cunctis*, illa prætermissa, quç tertio dicenda erat, scilicet *Ecclesiæ*, vel alia ad libitum.

• In Festis ergo Semiduplicibus occurrentibus a Purificatione, ad Quadragesimam, nec non ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, dicitur secunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum, nisi facienda sit Commemoratio Festi Simplicis, tunc enim secunda erit de Festo Simplici, tertia *A cunctis*; Respondet enim Oratio *A cunctis* Commemorationibus, seu Suffragiis Sanctorum, quç in

in Semiduplicibus in Officio fiunt, nempe de Beata Virgine, SS. Apostolis, S. Patrono, seu Titulari, & de Pace. Hujus Orationis est Auctor Innoc: III. *ex Durand. lib. 4. cap. 15.* Tertia antem Oratio additur, quia impari numero gaudet Deus, & tres dicendę in honorem SS. Trinitatis *ex Innoc. III.* Cum tamen contingere possit, quod debeant dici etiam quatuor, vel quinque Orationes, nulla urget necessitas, quod si dicantur quatuor, debeat semper dici quinta Oratio; ita ut Orationes sint semper numero impares, nempe tres, vel quinque, vel septem &c. quod constat *ex Decr. S. R. C. diei 2. Dec.* 1684. nempe: Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missa, veluti tertia *A cunctis*, si secunda esset de Festo Simplici, ut ejus loco dicatur Oratio veluti *Deus Refugium*: sed post tertiam Orationem *A cunctis* potest & imperata dici; cum in Missa de Semiduplici, & Simplici, vel Votiva, non sint necessario dicendę Collectę impares, puta tres, quinque, vel septem. Hoc item a S. R. C. sequenti Decreto confirmatum fuit sub die 17. *Aug.* 1709. nimirum: In iis diebus quando tertia Oratio in Missa est ad libitum, ac ex jussu vel Summi Pontificis, vel Episcopi in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia, non debet prætermitti tertia ad libitum, ut loco illius dicatur alia imperata, sed utraque dici debet, & tertia quę est ad libitum Sacerdotis, & quarta imperata, vel conrra Turcas, vel ad petendam pluviam &c. In dicta Oratione *A cunctis* litera N. exigit nomen Patroni, seu Titularis Ecclesię ubi celebratur: & notandum, quod nomina

Pa-

Patronorum S. Michaelis Archangeli, & S. Joannis Baptistę pręponenda sunt Apostolis, *ex Decr. S. R. C.* 22. *Aug.* 1620. Quod dicendum est etiam de nomine S. Josephi, cum, *ex Decr.* Benedicti *XIII.* 19. *Dec.* 1726. in Litaniis Sanctorum ante nomina Apostolorum collocandum sit. Quod si Ecclesia, in qua celebratur Missa sit dicata SS. Trinitati, SS. Salvatori, vel alicui Sancto ex nominatis jam in Oratione *A cunctis*, tunc loco nominandi in illa litera N. Sanctum Titularem, ne is iterum repetatur, potest exprimi nomen alterius Sancti, cujus pręcipua memoria, vel insignis Reliquia habetur in dicta Ecclęsia. Si verò non sit aliquis ejusmodi, tunc nominari potest alius Sanctus pro arbitrio, & devotione Sacerdotis celebrantis, *ex Guyeto*.

✝ In Festis Semiduplicibus a Feria 4. Cinerum, usque ad Dominicam Passionis exclusivè secunda Oratio erit de Feria, tertia *A cunctis*, nisi aliqua Commemoratio S. Simplicis facienda sit. In Missis autem de Feria hoc tempore Quadragesimæ secunda Oratio *A cunctis* tertia *Omnipotens*. Quęsitum autem fuit, an occurrente Commemoratione Sancti Simplicis in Feria 2. Quadragesimę, quando dictum est Nocturnum Defunctorum, debeat in Missa quarto loco dici *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum &c.* pro Commemoratione Defunctorum; & S. R. C. respondit sufficere tertiam Orationem *A cunctis*; quod si dicatur quarta *Omnipotens*, quinta erit ad libitum. Ita die 4. Maii 1709. *In Pistorien.*

✝ In Semiduplicibus a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, secunda Oratio de Feria, tertia *Ecclesię*, vel pro Papa; non autem

A cunctis: omittuntur enim Suffragia Sanctorum in Officio, & consequenter etiam in Missa. In Cathedralibus autem, & Collegiatis, in quibus cantantur duę Missæ una de Festo, & altera de Feria, in utraque secunda Oratio erit Ecclesiæ, vel pro Papa; & si occurrat Festum aliquod Simplex, tunc in Missa de Festo Semiduplici dicitur secunda Oratio de Festo Simplici, & non dicitur tertia *Ecclesię*. In altera verò Missa de Feria Oratio secunda erit *Ecclesię*, vel pro Papa tantum; non enim in ea fieri debet Commemoratio ullius Festi die illo occurrentis. *Hilden in Ephemerologio Ecclesiast. part.* 1. *tit.* 18. In Missis autem privatis de Feria a Dominica Passionis, usque ad Feriam V. in Cęna Domini, cum duę tantum pręscribantur Orationes dicendę, prima de Feria, secunda verò *Ecclesię* vel pro Papa; quęstio fuit inter Rubricarum explanatores utrum occurrente dicto tempore aliquo Festo Simplici debeant dici duę Orationes tantum, nimirum de Feria, & de Festo Simplici, vel utrum debeat addi tertia Oratio *Ecclesię* vel pro Papa. Sed omnis quæstio sublata fuit quando *S. R. C. die* 22. *Nov.* 1659. decrevit, quod si facienda obveniat Commemoratio de Simplici, omittenda est tertia Oratio, quę pro secunda assignatur in Missali, nempe *Ecclesię* vel pro Papa: Quod pariter servandum est etiam infra Octavas Paschę, & Pentecostes; *ead. S. R. C.* 15. *Sept.* 1736. Itemque occurrente Festo Simplici Feria 2. post Dominicam Passionis, quando dictum est Nocturnum Defunctorum, dicenda est secunda Oratio de Simplici tantum *S. R. C.* 4. *Maii* 1709.

In Festis Semiduplicibus ab Octava Paschę usque ad

ad Ascensionem, secunda Oratio de S. Maria *Concede nos &c.* tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa; *Rubrica*. In his enim Festis, & sequentibus quando in Officio cessant Commemorationes de Sanctis, & de Pace, cessat etiam Oratio *A cunctis*. Sed quia Beata Virgo numquam cessat orare pro nobis, & Festa Filii sunt etiam Matris; neque a Sanctis quidquam obtinemus, quod a Deo per manus Marię prius non donetur; ideo tempore Paschali, infra Octavas Ascensionis, Corporis Christi, & Sanctorum, in eorumque Vigiliis, secunda Oratio est de B. Virgine, *Concede nos*.

• In Festis Semiduplicibus infrà Octavas occurrentibus, secunda Oratio dicitur de Octava, tertia quę secundo loco infra Octavam ponitur. *Rubrica*.

• Infra Octavas Paschę, & Pentecostes in Missa de Octava dicuntur duę tantum Orationes, una de die, alia *Ecclesię*, vel pro Papa. *Rubrica*, quę Oratio *Ecclesię* dicenda non est occurrente Sancto Simplici, ut patet ex Decr. S. R. C. supra citatis.

• Infra alias Octavas (nempe pręter Octavam Paschæ, & Pentecostes) & in Vigiliis, quę jejunantur (excepta Vigilia Nativitatis Domini, & Pentecostes, quę rationem habent Festi Duplicis, & Solemnioris) dicuntur tres Orationes, una de die, secunda de S. Maria *Concede nos*, tertia *Ecclesię*, vel pro Papa. In diebus verò infra Octavas S. Mariæ, prima Oratio est propria ejusdem, secunda de Spiritu Sancto, *Deus, qui corda &c.* quæ semper dicitur in supradictis Missis B. Marię, quia ipsa est Sacrarium, & & singulare habitaculum Spiritus Sancti: *Quarti part. 1. tit. 9. n. 9.* tertia *Ecclesię*, vel pro

Pa-

Papa. Dicitur pariter secunda Oratio de Spiritu Sancto in Vigilia, & infra Octavam Omnium Sanctorum, quia in prima Oratione, vel explicitè, vel implicitè Marię merita imploramus; ideo in secunda Oratione eam denuo invocare non debemus.

* Cur autem non dicatur Oratio *A cunctis* in Vigiliis, in quibus fiunt Commemorationes Sanctorum, ratio esse potest, quia in Vigiliis solent Fideles ferventius orare mente per jejunium elevata: & ideo in Missa pręscribuntur Orationes dicendę de S. Maria, & pro Ecclesia, quę magis fovent devotionem, & pietatem.

* In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, una de Dominica, secunda de Octava; omittitur autem tertia ad majorem Solemnitatem, sed non excluditur occurrente Sancto Simplici. In die Octava dicitur una tantum Oratio (nisi facienda sit aliqua Commemoratio) quia est duplex Officium. Occurrente autem in die Octava Dominica aliqua privilegiata, fieri debet in Missa secundo loco Commemoratio de ipsa Octava, cum hæc transferri non possit, neque tertia dicitur Oratio, quia dies est Octava, & nobilior (duplex enim est) quam Dominica infra Octavam, in qua duę tantum dicuntur Orationes.

* In Dominicis dicuntur tres Orationes, ut in Ordinario assignantur, excepta Dominica Passionis, in qua duę tantum dicuntur, ut supra dictum est, Dominica Palmarum, in qua una tantum dicitur Oratio, & Dominica in Albis, quæ unicam habet Orationem, quia ejus Officium est Duplex; *Gavantus*.

In

• In Festis Simplicibus, & Feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres Orationes, ut in Semiduplicibus, aut quinque, aut etiam septem ad libitum. Tres autem dicuntur ad honorem SS. Trinitatis; Quinque in Commemorationem quinque plagarum Christi Domini, & septem ad obtinenda septem dona Spiritus Sancti *Innoc. III.* & *Microlog. cap.* 4. Notandum verò, quod ad libitum hoc loco non significat, quod quascumque velit Sacerdos Orationes dicat, sed eas prius, quę in Rubricis assignantur pro secunda, vel tertia; & tunc supra illas addere poterit quę magis placent, cum debito tamen ordine, ut diximus verb. *Commemoratio*. Notandum item, non esse præscriptum a Rubricis, quod semper in Semiduplicibus, Simplicibus, & Feriis, Orationes in Missa debeant esse impares numero: & hoc declaratum est *a S. R. C.* 2. *Dec.* 1684. exigere enim potest numerum parem aliqua Commemoratio facienda.

• In Missis Votivis privatis plures dicuntur Orationes, ut in Festis Simplicibus; secunda, scilicet, est de quo fit Officium, sive illud sit Festum, sive Feria: tertia quę secundo loco dicitur in Missa de Officio, exceptis Missis Votivis de B. Maria, in quibus secunda Oratio dicitur de Officio illius diei, tertia de Spiritu Sancto (quæ omittitur, si occurrat Commemoratio S. Simplicis, vel Ferię): & Votivis, de SS. Apostolis Petro, & Paulo, in quibus quando in Missa Officio correspondenti ponitur secundo loco Oratio *A cunctis*, hęc non dicitur, ne fiat nova mentio Apostolorum. Ne verò pe-

reat deinde memoria Beatæ Virginis, quæ habetur in omissa Oratione *A cunctis*, dicitur ejus loco *Concede nos*, de Sancta Maria.

In Missis Votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesię causa, dicitur tantum una Oratio. In Missa vero pro gratiarum actione additur alia sine distinctione a prima sub unica conclusione, ut in proprio loco notatur.

Si cum plures dicuntur Orationes occurrat fieri Commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur secundo loco, & tertio loco dicitur quæ alias secundo loco dicenda erat *Rubrica*. Intellige hìc, inquit *Gavantus*, Commemorationem Sancti, non ad libitum Sacerdotis, sed eam, quę facta est in Officio, ut in Sabbato, quando fit Officium B. M. V. cum Commemoratione Festi Simplicis: tunc enim Oratio de Spiritu Sancto erit tertio loco dicenda.

Oratio *Deus Refugium*, vel alia indicta a Superiore pro publica causa ita addi debet, ut nulla omittatur ex iis, quę in Missali cuique Missæ singillatim, & nominatim assignantur: Imò *ex Decr. S. R. C.* 17. *Aug.* 1709. Quando tertia Oratio in Missis est ad libitum, & ex jussu Summi Pontificis, vel Episcopi debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia, videlicet contrà Turcas, seu ad petendam serenitatem, aut pluviam &c. hæc Oratio debet recitari tamquam ex pręcepto 4. loco, non omissa 3. loco illa, quę est ad libitum, seu pro devotione Sacerdotis eligenda. Omitti tamen debet hęc Oratio a Superiore indicta, ut constat *ex De-*

Decr. S. R. C. 28. *Aug.* 1627. In Festis primę Classis. In aliis verò secundę Classis communior usus insigniorum Ecclesiarum Urbis est, & neque dicatur in Missis privatis, nedum in Solemni; a qua sola excluditur Commemoratio de Festo Simplici, *Gavantus*.

Oratio pro seipso Sacerdote dici non debet in Missa, cui interest proprius Episcopus, vel eo major, vel Princeps magnus, *ex Burchard.* sed potius orandum est pro Pręlato, seu Principe pręsente, ob reverentiam.

Orationes, quę dicendę sunt in Missis pro Defunctis, vide verb. *Missę pro Defunctis*.

* In Conclusione autem Orationum hic modus servetur, *ex Rubrica*: Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur, *Per Dominum nostrum &c.* Si in Oratione ad Patrem directa nominetur Filius, dicitur in Conclusione, *Per eumdem Dominum &c.* nisi nominetur in fine Orationis; siquidem tunc dicitur, *Qui tecum vivit &c.* Si nominetur Spiritus Sanctus in Oratione, dicitur *In unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus*, etiam si nominetur in medio Orationis. Si duę, vel tres Orationes dicendę sint sub unica conclusione, & mentio de Spiritu Sancto fiat tantum in prima Oratione, docet *Bissus lit. C. n.* 410: quod dici debeat in conclusione, *in unitate ejusdem Spiritus &c.* ut fit in Missa pro gratiarum actione. Sed huic *Bissi* sententiæ obstare videtur sequens S. R. C. Decretum 15. *Sept.* 1736. scilicet, si secunda Oratio est de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio, tertia, sive ultima non debet concludi; *In unitate ejusdem Spiritus &c.*

Oratorium privatum illud intelligitur, quod in Domo particulari inservit usui privato, nullamque habet portam in via publica, sive ingressum indifferentem omnibus permissum. In his autem Oratoriis privatis quamvis concedatur a Summis Pontificibus licentia Missam celebrandi; nihilominus in suis Diplomatibus Apostolicis nonnullę continentur clausulę, & exceptiones, quæ perlegi possunt apud Pasqualigum, Tamburinum, La Croix, & alios, inter quas hæc habetur, quod in prędictis Oratoriis privatis possit qualibet die unica tantum Missa celebrari, ut a Sacra etiam Rituum Congregatione statutum est sequenti Decreto *de die* 13. *Febr.* 1667 Quod scilicet Missę plures non possunt celebrari in Cappellis privatis Nobilium. Reliquę item exceptiones de Missæ celebratione in Oratoriis privatis, habentur in Decretis S. R. C. quę hinc exhibentur.

* In privatis Oratoriis, & privilegiatis, non potest celebrari Missa in Festis Solemnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Feria V. in Cęna Domini, Paschate, Ascensione, Pentecoste, Annunciatione, Assumptione B. M. V. Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli & Omnium Sanctorum &c. *S. R. C.* 17. *Nov.* 1607.
* Notandum autem, quod nomine Paschatis, & Pentecostes in prędicto Decreto, venit tantum prima dies, & tradunt plures Doctores apud *Pasqualigum*; Item circa Festum Anunciationis B. M. notandum, quod vigore prędicti Decreti, intelligitur Missę celebratio in Ora-

toriis privatis etiam eo die, ad quem transfertur Annunciatio cum obligatione audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus, ut statutum est ab eadem S. R. C. 11. *Febr. & 11. Mart.* 1690. Prçterea prohibitio celebrandi Missam in Oratoriis privatis Feria V. in Cęna Domini, intelligenda est etiam eo Anno, in quo in tali Feria V. occurrit Festum S Josephi, vel Annunciationis, licet in dictis casibus aliquę permittantur Missæ privatæ in Ecclesiis, & Oratoriis publicis, ut liquet ex Decr. S. R. C. proprio loco citatis. Denique ex allegato Decreto a S. R. C. emanato *Anno* 1690. 11. *Febr. &* 11. *Mart.* eruitur, quod neque in Sabbato Sancto Missa in prędictis privatis Oratoriis celebrari permittitur. In Publico autem Oratorio extra aliquod Oppidum constructo de licentia Episcopi, Missę Sacrificium peragi potest in diebus Solemnibus Anni, etiam contradicente Parocho, pro commoditate Villicorum circumhabitantium, dummodo habeat omnia requisita ad Ecclesiam, vel saltem ad publicum Oratorium constituendum *S. R C.* 2. *Sept.* 1661.

P A

PAtronus loci, & Patronus, seu Titularis Ecclesię differunt inter se; nam Patronus loci, ut explicat *Gavantus sect.* 3. *cap.* 12. Sanctus ille est, quem Episcopus cum Populo sibi Patronum eligit, vel quia primus eo loci Episcopus fuit, vel quia ibi humatus, vel quia Civis ejusdem loci, vel quia juvit aliquando mirabiliter in ejusdem Populi necessitatibus, vel ob alias similes causas. Titulus autem Ecclesię

non ita latè patet, ad unam enim tantum spectat Ecclesiam, quę sub illius invocatione dedicata est; Patronus verò loci plures Ecclesias respicit: locus enim, inquit *Gavant.* accipitur pro multitudine Cleri, & Populi, seu potius pro multis Cleris, & Populis in uno loco, puta Civitate, aut Dięcesi constitutis: Insuper Ecclesię Titulus unicus esse solet, aut si multiplex, nonnisi sub ratione unius, ut explicat *Guyetus lib.* 1. *cap.* 4 *qu.* 3. è contra verò Patroni loci possunt esse plures; & revera dividuntur in principales, & minus principales, ut ait *Gavant. supra*. Et tam de Patrono principali loci in loco suo, quam de Titulari in sua Ecclesia fit Officium ut de Duplici primę Classis, & quidem cum Octava, ad quam non tenentur Regulares, licet ad Festum teneantur, immò de ea celebrare non possunt ad libitum, ut decretum fuit a *S. R. C. die* 11. *Febr.* 1702. Tenetur autem etiam Regulares ad Festum Solemne de Patrono loci celebrandum, ut populus, qui in eo Festo ad Regularium Ecclesias accedit Missas, & Officia Divina auditurus, ad pietatem erga Patronum suum non minus accendatur, quam si ad Ecclesiam confluat Cathedralem.

Patroni loci minus principales celebrantur regulariter sub Ritu Duplici majori sine Octava: Nisi ex Indulto Apostolico plures Patroni in aliquo Regno, vel Dięcesi æquè principales colantur, tunc enim sub Ritu Duplici primę Classis cum Octava æquè sunt celebrandi; qua de re *Halden part.* 3. *tit.* 1. plurium in praxi affert exempla Dięcesum.

Pa-

Patroni principalis loci nomine venit etiam Patronus principalis Regni, vel Provinciæ, de quo concessum est ab Apostolica Sede, ut a Clero tam Sęculari, quam Regulari recitetur Officium. *S. R. C. 20. Mart.* 1683. Non autem Patronus Parochiæ, *ex alio S. R. C. Decr.* 14. *Febr.* 1705. qui a Clero tantum colendus est, qui illius Ecclesiæ Parochialis adscriptus est, idque Ritu primæ Classis, & cum Octava. Regulares autem sub tali Parochia in Civitate habitantes tale Festum non respicit, utpote qui proprium in sua Ecclesia Titularem habent. Quod confirmatur rescripto S. R. C. quoad quęsita Guardiani Fratrum Cappuccinorum Conventus S. Michaelis Leodii *die* 28. *Aug.* 1606.

* Quę dicta sunt de Principali Patrono loci, ait *Gavant.* conveniunt pariter Fundatori, & Patrono Ordinis in toto Ordinę post ejus Solemnem Canonizationem, & obtentam a Sede Apostolica licentiam dicendi de eo Officium, & Missam.

Preces, versus nempe, qui aliquando ad Horas Canonicas dicuntur ante Orationem incipiendo a *Kyrie eleison*, vel a *Pater noster* a Græcis primum derivasse scribit *Isidor. lib.* 1. *de Off. cap.* 9. unde retinentur primę voces Græcanicæ *Kyrie eleison*, quę significant *Domine miserere*. Quando verò dicendę sint, & quo Ritu habetur in Rubrica XXXIV. *De Precibus.*

Processio in Festo Corporis Christi. De ejus Institutione nonnulla tradidimus ad verb. *Corporis Christi Festum*.

* Antequam hujus Solemnis Processionis Ritum tra-

tradamus, nonnulla pręmittenda sunt de Ecclesię apparatu, in qua Processio incipit, ac finem habet. Cum enim Processio, quę facienda est in hac Solemnitate sit Solemnior omnibus aliis, distinctior quoque ejus pompa, & apparatus esse debet; ornatus enim major, majorem Solemnitatem ostendit: & ubi per ornatum sive pompam ista magna Solemnitas nequit haberi, curandum est, ut per nitorem saltem, & munditiem habeatur; adeo ut Ecclesiæ parietes, qui velis, vel aulæis ornari nequeunt, saltem per decorem, & venustatem eluceant, nec pulvere, sive araneis sordescant. Pavimentum verò perpolitum sit, & Floribus, seu herbis benè olentibus, præsertim ubi Processio transire debet sit sparsum, & seminatum. Qui quidem flores non debent projici nec in faciem, nec super dorsum incedentium in Processione, ut declaravit Sacr. Congr. Episcopor. *in Calien. Synod. 21. Jan.* 1720. Altare insuper, in quo exponenda est SS. Eucharistia parari debet Festivo apparatu, & prętiosiori supellectili: non tamen placeat in eo ponere Statuas cum Reliquiis Sanctorum, ne Populus minimum quid distrahatur ab adoratione SS. Eucharistię. In eodem Altari non desit copia Candelarum, quę ardeant, & sint ad minus viginti juxta Instructionem Clem. XI. Deinde super Altare in loco aliquantulum eminenti, collocetur parvum Baldachinum albi coloris, sub quo ponetur Corporale, seu Palla supponenda SS. Sacramento, quod ibi exponi debet. Cavendum tamen est, ne ita altè ponatur, ut necesse

sit

sit indecenter ad illud ascendere tam pro exponendo, quam pro reponendo SS. Sacramento, sed sit ad talem altitudinem, ad quam commodè ascendi possit per aliquod scabellum graduatum ad hoc paratum; *ex Bisso lit. A. n. 247 & Bauldry part. 4 cap. 16. art. 2.*

• In Missa Solemni hujus diei consecrantur duę Hostiæ, & fit Expositio SS. Sacramenti. Sed vide *Expositio SS. Sacramenti*. Et *Missa Solemnis coram SS. Sacramento*. Tertia autem hac die citius cantari potest, *ex Cęrem. Episc. lib. 2. cap. 33.* & est casus singularis ob longam Processionem, & calorem. Et post Elevationem SS. Sacramenti in eadem Missa Solemni, vel etiam ante, si opus erit, junior Cęremoniarum Magister curabit, ut Processio secundum Ordinem infra describendum dirigatur, & procedat, *Cęrem. Episc. supra* §. 16.

• Primo igitur præcedant Confraternitates Laicorum, si adsint, & si utantur proprio, & particulari habitu Confraternitatis, aliàs enim nullum debent habere locum particularem. Et notandum, quod si adsit Confraternitas SS. Sacramenti, competit ei pręcedentia super alias Confraternitates in tali Processione; *ex Decr. S R. C. 19. Jun. 1695.* Deinde sequuntur Religiosi secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel consuetudine pręcedere solent. Et notandum, quod *ex Decr. Sacr. Conc. Trid. 3. Aug. 1658.* Regulares tenentur accedere, ubi vocati fuerint (seu pręcedente generali indictione) ad Processiones Corporis Christi, Rogationum, quę vocatur

Li-

Litania major, & ad eas, quę pro serenitate, vel pluvia impetranda fieri solent, nec non ad alias quascumque pro bono publico, & onere indictas, dummodo eorum Monasteria a Civitate ultra medium milliare non distent, aut nisi exhibeant privilegia Apostolica posteriora publicatione S. C. Trid. & quatenus accedere noluerint; potest Episcopus eos compellere etiam per Censuras *S. R. C.* 17. *Jul.* 1609.

Post prędictos Regulares sequitur Clerus, hoc est primò qui defert Crucem, & hic, ut notat *Gavant.* congruit, ut veste Subdiaconali sit indutus, & debet procedere medius inter duos Ceroferarios portantes duo Candelabra cum candelis accensis, nullo autem pręeunte Thuriferario. E si adsint Clerici Seminarii, primi incedere debent ante Clerum Sęcularem, *ex Decr. S. R. C.* 1. *Sept.* 1607. Post eos autem procedere debent Ecclesiarum Parochialium Curati cum Cottis, & eorum insignibus, si illa deferre soleant; Tum Ecclesię Collegiatę, item cum eorum insignibus; & deinde Clerus Ecclesię Cathedralis. Atque hic notandum occurrit, quod Rectores Ecclesiarum Parochialium in hac, & in aliis Processionibus, non debent incedere inter Dignitates, & Canonicos, sed separatim cum suo Clero, & ante Clerum Cathedralis. *S. R. C.* 12. *Maii* 1612. Item Abbates quando sunt plures in eodem loco, & habent Clerum distinctum, debent in Processionibus incedere unusquisque cum suo Clero. *S. R. C.* 19. *Jan.* 1613. Et Clerus Ecclesię Cathedralis (Canonici nempe, Præsbyteri, & Clerici, qui faciunt unum corpus, & sub

ſub una Cruce debent incedere, *ex Decr. S. R. C. 28. Nov. 1609.*) unitus ultimo loco incedere debet; nec Clerus, vel Canonici aliarum Eccleſiarum debent cum dicto Clero Cathedralis incedere. *S. R. C. 21. Aug.* 1604.

Omnes autem in hac Proceſſione tam Laici, quam Religioſi, atque omnes de Clero deferre debent *ex Cęrem. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 33. §. 4. ſi non funalia, ſaltem candelas cerę albę accenſas, quas ea manu deferre debent (ut optime notat *Gavantus*) quę extima cuique eſt, altera pectori admota, ſcilicet qui a ſiniſtris ſunt, manu ſiniſtra, & qui a dexteris manu dextera candelas deferre debent.

Poſt Dignitates ergo, ſeu Eccleſiæ Digniores (ſermonem de hujus Proceſſionis Ordine reſumendo) octo Cappellani, ſeu Clerici cum funalibus accenſis ibunt hinc inde ante Baldachinum quatuor pro qualibet parte, & poſt eos duo Thuriferarii geſtantes reſpective manu ſiniſtra Naviculam, & manu dextera Thuribulum, vel è contra, & incenſantes continuo Sacramentum, non eo modo, quo ad Elevationem in Miſſa, & ad Benedictionem ejuſdem Sacramenti fieri ſolet, quippe qui inter ambulandum eſſet valde incommodus; Sed Thuribulum è manu dextera pendens ab eo, qui eſt a ſiniſtris Celebrantis, ab eo verò, qui eſt a latere dextero è manu ſiniſtra, graviter, & modeſte alternatim movendo; tractibus tamen longioribus erga Sacramentum productis, ut ne dum ei viam ſternere, ſed ipſum quoque incenſare verè dici poſſint. *Gavant. & Biſſus lit. P. n.* 226. *& lit. F. n.* 45.

Poſt

Post hos omnes ibit Celebrans detecto, & nudo capite, deferens manibus suis SS. Sacramentum (non enim deferri potest in Tabernaculo humeris Sacerdotum *ex Decr. S. R. C.* 2. *Jun.* 1618.) medius inter Diaconum, & Subdiaconum, Pluvialis fimbrias hinc inde elevantes *ex Cęrem. Episc.*

Si adsunt Pręlati in hac Processione incedunt post Celebrantem; atque juxta locorum consuetudinem etiam Magistratus post Celebrantem incedunt funalia, seu candelas accensas in manibus gestantes.

Dum autem ex iis, qui ordine supra tradito ultimi (nempe Clerus) procedunt Celebrans tempestivè per Cęremoniarium admonitus, Pluviali albo indutus, medius inter Sacros Ministros Dalmatica, & Tunicella coloris albi pariter indutos, sed omnes sine Manipulis, accedit junctis manibus, & nudo capite per planum Presbyterii ad medium Altaris; & ibi in plano genibus flexis, profundam facit cum Ministris Sacris inclinationem SS. Sacramento. Surgit deinde ipse solus, & stans ante prædictos gradus Altaris, imponit incensum in duo Thuribula, sine osculis, & sine Benedictione, ministrante Diacono Naviculam, Subdiacono verò elevante fimbriam dexterę partis Pluvialis. Deinde super infimo Altaris gradu genuflexus idem Celebrans [manentibus semper Ministris Sacris genuflexis in plano] ter ducens Thuribulum cum debitis profundis inclinationibus ante, & post, SS. Sacramentum incensat; quibus peractis Diaconus acceptum sine osculis Thuribulum reddet

pri-

primo Thuriferario, qui SS. Sacramentum per id tempus numquam incensabit. Subdiaconus verò velum oblongum allatum de Credentia per aliquem Acolytum imponet humeris Celebrantis, & ad pectus ejusdem adnectet: Deinde ipse Celebrans medius inter Ministros ascendit usque ad superiorem gradum Altaris, supra quem remanet genuflexus cum Subdiacono; Diaconus verò accedit usque ad Altare, ubi facta genuflexione, accipit Ostensorium ambabus manibus, & vertens se, ut fit ad *Ite Missa est*, tenens illud Imagine Crucifixi, quę est in Hostia ad se versa, illud tradit Celebranti eodem modo: ita ut in tota Processione prędicta imago non respiciat Celebrantem, sed viam, quam habet ante se. Tradit autem illud Diaconus stans; Et Celebrans illud recipit genuflexus manibus velo coopertis. Statim verò ac ipse Diaconus in manibus Celebrantis Ostensorium posuit, in eodem loco, in quo est genuflectit, & SS. Sacramentum adorat; ac statim accedens ad dexteram Celebrantis, accipit genuflexus partem anteriorem Pluvialis, quam elevat: Subdiaconus verò idem facit ex altera parte a sinistris. Tum Celebrans cum ipsis Ministris surgit, & ascendit supra planum suppedanei; & ibi erectus simul cum prętatis Ministris convertit se ad Populum: Et tunc, & non prius Cantores adhuc genuflexi intonant Hymnum *Pange lingua &c.* quem etiam Celebrans cum Ministris dicit submissa voce, sicut etiam Psalmos, qui a Cantoribus, & aliis incedentibus (sive a Musicis, si adsint) pro longitudine

Pro-

Processionis cantantur. Et notandum quod ex Decr. S.R.C. 12. Mart. 1609. cantiones cantandę non sunt vulgari sermone. Dum autem Celebrans descendit per gradus Altaris tenens ambabus manibus Ostensorium, *ut supra*, prompta esse debet umbella albi coloris supra caput ejus elevanda per totum spatium, quod interest ab Altari, ad Baldachinum; ne Sacramentum absque honoris tegmine, licet per breve spatium deferatur: nam Baldachini hastæ solent ad Cancellos, seu in aditu Presbyterii elevari. Quę quidem Baldachini hastę digniores de Capitulo, sive Beneficiati, aut Mansionarii Digniores parati cum Pluvialibus albis juxta consuetudinem Ecclesię deferre deberent per totam Ecclesiam, & ad Ecclesiæ Januam cum pervenerint in Laicorum manibus eas relinquere, qui primo loco Barones, & Nobiliores, seu Magistratus esse debent, deinde alii inferiores. Ipsi verò Beneficiati ibunt ad locum sibi in Processione assignatum, *ex Cęrem. Episc. part. 4. lib. 2. cap. 33. §. 21.*

* Si longior sit Processio, potest Celebrans in aliqua Ecclesia, & super illius Altare deponere SS. Sacramentum super Corporale in eo pręparatum, & aliquantulum quiescere: quod tamen non passim, & in singulis Ecclesiis, vel ad singula Altaria, quæ forsitan per viam constructa, & ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum, & iterum arbitrio Celebrantis. *Cęrem. Episc. supra.*

* Expleto autem gyro Processionis, & Celebrante, cum SS. Sacramento ad eamdem Ecclesiam reverso, ex qua discesserat, ante ejusdem Ec-

Ecclesię fores, iterum Nobiliores Laici, vel alii Nobilitate eisdem æquales hastas Baldachini capient, & Celebrans sub Baldachino ibit usque ad Cancellos, ubi prompta erit umbella ut in discessu SS. Sacramenti ab Altari, sub cujus tegmine procedet idem Celebrans usque ad secundum gradum Altaris; atque ibidem stans, Ostensorium deponit in manibus Diaconi genuflexi in plano suppedanei ad cornu Epistolę, quasi vertentis renes eidem cornu: Qui accepto reverenter SS. Sacramento de manu Celebrantis, *ut supra* stantis, surgit, & tantillum expectat; ut Celebrans utroque genu flexo Sacramentum reverenter adoret, *Castald. in Praxi lib. 2. sect. 10. cap. 2. & Baruffald.* Deinde illud reverenter collocat in medio Corporalis extensi super Altare, cavendo ne omninò renes vertat Celebranti; qui adorato SS. Sacramento, descendit ad infimum Altaris gradum cum Subdiacono, & remoto ab eo velo humerali per Cęremoniarium; genuflectit in eodem infimo gradu, *Cęrem. Episc. supra* §. 26. & cum ipso genuflectit etiam Subdiaconus a sinistris, & postea Diaconus (deposito Sacramento super Altare), a dextris in dicto gradu: & posito incenso in altero ex duobus Thuribulis, ministrante Diacono Naviculam, incensatur Sacramentum, ut supra; & deinde Cantores incipiunt in cantu devoto, & gravi ℣. *Tantum ergo &c.* Cęrem. Episc. supra §. 25. Et in fine datur Benedictio cum SS. Sacramento, cujus Benedictionis, ut Ritum habeas Vid. *Benedictio Populi cum SS. Sacramento.*

Pal-

Psalmi continent Dei Laudes, vel preces ad eum, unde fere idem est Psalmus, quod Hymnus, ut ex Titulo Hebręo Psalterii habetur, qui est: *Liber Hymnorum*, seu *Laudum Divinarum* Clerici primis Ecclesiæ Sęculis totum Psalterium animo percipere, & memoria custodire debebant; adeoque, ait *August.* 28. *dist.* Quę ipsis: *Si Psalterium Sacerdos ignorat, nomen Sacerdotis vix in eo constabit*. Et Gregorius Magnus, ut habetur *in ejus Epistola* 44 *lib.* 4 Episcopum ordinare recusavit Joannem Presbyterum, utpote Psalmorum nescium. Auctor Psalmorum saltem quoad maximam illorum partem, est David.

Psalmi, quo ordine in Officio de Tempore, & in Festis dicendi sint, patet ex Breviario propriis locis, & ex Rubrica XXII. *De Psalmis.*

Psalmi alternatim in Choro bifarie diviso cantantur: qui Ritus apud Græcos primum institutus fuit, exemplo sumpto ab alterno cantu Antiphonarum Ignatiano, de quo egimus verb. *Antiphona*. Inter Latinos autem, teste Augustino *lib.* 9. *Confess. cap.* 6. Ambrosius Grecos imitatus, primus invexit in Ecclesiam alternum cantum: quem Damasus Decreto generali firmavit, & communem toti Ecclesię fecit, ut dicitur in Breviario in ejusdem Festo. Hujusmodi autem Cantus alternus significat alternam Sanctorum ad bene operandum exhortationem, *Hugo in spec. cap.* 3. & quod alter alterius onera portare debet. *Durand in Ration. lib.* 5. *cap.* 2.

Psalmi Graduales, qui dicuntur *Canticum graduum*, & *Ascensionis* ex vi vocis Hebreę

A-

Amalaoth, ex Theodoreto, & Euthymio intelligendi sunt ad literam de Ascensione Judeorum a Babylone in Jerusalem (Judeæ enim Regionis montuosę iter à Babylone in planitie posita ascendendo fit) Spiritu Sancto per os David præcinente calamitatem eorum, & libertatem. Huic sententię accedit etiam *Augustinus Calmet*, qui in suo eruditissimo Dictionario Sacrę Scripturæ Hebręum vocabulum *Amalaoth* vertit *Canticum Ascensionis*, sive *Regressus è captivitate Babylonica*. Movetur autem hic Auctor ad hanc sententiam amplectendam, quia Scriptura agens de regressu Populi è captivitate Babylonica, verbo *ascendere* frequentissime utitur: omnium instar sit illud 1. *Esdræ* 2. *Hi sunt autem provincię Filii, qui ascenderunt de captivitate*. Cantica igitur ascensionum facilè ob agendas Deo gratias pro hujusmodi regressu a captivitate concinnata fuisse credimus, quod potissimum esse Psalmorum Gradualium argumentum observamus. *Junius*, & *Tremellius* allegati a pręlaudato *Calmet* Hebręum vocabulum *Amalaoth*. vertunt *Canticum excellentiarum*, sive *Canticum eximium*. Communem tamen interpretationem, *Canticum graduum*, vulgò plures sequuntur, sumpto hoc nomine ex gradibus Templi, in quibus quindecim hi Psalmi cantabantur, quos pariter gradus quindecim fuisse *S. Hilarius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, aliique testantur.

Psalmi Graduales dicuntur in Feriis quartis Quadragesimę, non excepta Feria quarta Cinerum, Pio V. ita limitante, ante quem quotidie in Quadragesima recitabantur. Ante Matutinum dicuntur de more antiquo, *ex Radulph. prop.*

21. in Brev. MS. & ante Officium parvum B. V. quod fit unum cum Officio majori, *ex P. Ruix. in Cęrem.* Omittuntur in Hebdomada majori, cum ibi eadem ratio militet, qua omittitur Officium parvum B. V. & Defunctorum, & omittuntur in Festo novem Lectionum ratione Festi, ut ait *Radulph. loc. cit.* Nulla est obligatio, ex *Bulla Pii V.* qui proponit recitantibus Indulgentiam quinquaginta dierum, sive in Choro, sive extra Chorum eos recitent, in Feriis IV. Quadragesimę. *Radulphus loco citato* meminit, & notat, primos quinque dici pro Defunctis: alios quinque pro nobis ipsis, & amicis: postremos quinque pro omnibus Fidelibus; & quadrat ordo hic ascendentibus, juxta Psalm. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum*, idest Purgatorii; nam a Purgatorio Defunctorum elevamur ad purganda propria peccata, de quibus in secunda Oratione agitur; deinde ad unionem cum Deo, quem toto corde perquirimus in tertia Oratione; ita ut in secundo ordine Psalmorum declinantes a malo, in tertio faciamus bonum, in quibus tota justitia consistit. *Gavant. sect. 9. cap. 3. n. 3.*

Psalmi Pęnitentiales, qui scilicet ad pęnitentiam nos movent, videntur fuisse in usu ante S. Augustinum, qui morti proximus eos lectitasse fertur. Innocentius III. jussit eos recitari in Quadragesima *ex Radulph.* quia tempus est opportunum ad pęnitentiam; & quotidie quidem recitabantur; sed sextis tantum ejusdem Quadragesimæ Feriis assignati postea fuerunt a Pio V. sine ulla obligatione extra Chorum, proposita tamen recitantibus quinquaginta dierum Indulgentia pro quali-

bet

bet vice. Recitantur autem post Laudes dicto *Benedicamus Domino*, & *Deo gratias*, absque ℣ *Fidelium animæ &c.* flexis genibus, surgente tantum Hebdomadario ad Orationes. Quod si consuetudo detur aliqua antiqua, & inveterata recitandi in Choro Psalmos Pęnitentiales in Feriis V. post Completorium in Quadragesima, & in Feriis III. Psalmos Graduales: Sacra Rit. Congr. *die* 2. *August.* 1603. declaravit eam retineri posse. Congruit tamen multo magis Feria sexta Pęnitentiales Psalmos recitare, in qua peccavit Adam, & Christus mortuus est. Notandum autem quod in Festis novem Lectionum omittuntur, sicuti etiam Feria VI. in Parasceve, ut dictum est de Officio parvo B. M. V. & Defunctorum, ac de Psalmis Gradualibus.

Psalterio semper in Divinis Officiis usa est Ecclesia: sed notandum, quod Psalterium ipsum ab aliquo, ut creditur, Apostolorum Discipulo ex Græca LXX. Interpretum Versione una cum aliis Sacrę Scripturæ Libris Latinè redditum, atque à Romana primùm, deinde ab Occidentali Ecclesia Universa in Divinis Officiis receptum, varias progressu temporis, vel Scriptorum audacia, sive oscitantia, vel Episcoporum licentia; qui vel verba, vel sententias ad suæ Regionis idiotismos accomodarunt, varias, inquam, pati mutationes cępit, variisque scatere cępit erroribus. Hujusmodi autem prima Psalterii, ac totius pręterea Scripturæ Latina versio, quæ *Italica* appellata fuit, ita depravata, a S. Hieronymo Romæ circa Annum 382. Damasi Papę jussu saltem quoad pręcipuos errores emendata fuit. Et Romana quidem Ecclesia, alięque deinceps Psalterio ita cor-

recto a S. Hieronymo usę sunt ; sed cum Populi antiquæ assueti versioni S. Doctoris correctiones negligerent, non multo post tempore totum opus mendis fędatum fuit. Quapropter, Matronis Paula, & Eustochio instantibus, novam ipse Hieronymus Anno 384 veram versionem Latinam, cum Bethleem versaretur, è Textu LXX. espressam suscepit, quę non fuit pura correctio, ut prima Romę facta, sed vera nova versio, & quidem accuratissima, atque omnino emendata. Psalterium igitur hujus secundę Hieronymi editionis, obelis, & Asteriscis, additionibusque ex Theodotione desumptis condistinctum, illud idem est, quo nunc in Breviariis utitur Romana Ecclesia, & & quod in corpore Sacrorum Bibliorum reperitur. Gallicanum vocatur etiam hoc Psalterium, quia Galli ab Itala vetere Psalmorum editione discesserunt primi, & alteram de qua hìc loquimur Hieronymi versionem amplexi sunt, quæ postea S. Pii V. jussu ubique recepta ęst, pręter quàm in sola Basilica Vaticana, in qua nunc etiam vetus Psalterium, juxta antiquam, & Italicam dictam editionem, sublatis mendis, & pristinę integritati restitutum religiosissimè recitatur. Eadem versione extra Urbem utitur etiam hodie vetusto more Ecclesia Ambrosiana, nec non Ducalis Basilica S. Marci apud Venetias, & in Hispania omnes Clerici illi, qui ex institutione Francisci Ximenes Archiepiscopi Toletani psallunt juxta Ritum Mozarabicum. Reliquæ autem omnes Occidentales Ecclesię unicum tantum Psalmum, nempe *Venite exultemus Domino*, qui Invitatorius dicitur quotidie juxta Italam antiquam editionem recitant, & solum in Solemni Festo Epipha-

phaniæ idem Psalmus juxta editionem Vulgatam, aut Gallicanam ferè ab omnibus recitatur. Hic tandem prętermittenda non est altera Scripturę universæ Veteris Testamenti versio, quam idem S. Hieronymus edidit ex Hebræis fontibus expressam. Hęc quidem Versio ab aliis duabus ejusdem Hieronymi editionibus ex Gręco textu translatis plurimum discrepat tam in verbis, quam in sententiis, ut patet: sed Hebraici textus sensui est magis consona, quod unum fuit S. Doctoris consilium, atque unica de tanto opere, quod aggressus fuerat expectatio. Psalterium tamen ex hac ultima Hieronymi versione receptum non fuit, quia duę priores ipsius Psalterii Versiones quotidiano usu in Ecclesiis frequentatę, sine magna Divini Officii perturbatione abrogari non poterant.

Purificatio B. M. V. dicta est a Græcis *Hypapante*, quod Latinè sonat occursus, seu obviatio. Hoc enim Festum institutum fuit ab Ecclesia in memoriam illius diei, quo Christo cum Matre, & Josepho ad Templum accedenti, obviam venerunt Simeon, & Anna gratulantes, & benedicentes Deo. Certum est autem hujusmodi Festum prius apud Græcos, quam apud Latinos institutum fuisse. Apud Gręcos quidem Justiniani Imperatoris tempore apud Bizantium, sive Costantinopoli, *ex Niceph. lib.* 17. *cap.* 28. Apud Latinos verò Gelasio Summo Pontifice *ex Baronio*. Cum enim hic Pontifex Anno 496. Lupercalia sustulisset, quæ Romę a Paganis Mense Februario in Plutonis honorem peragebantur, eidem ergo Pontifici Festi hujus *Hypapante* institutionem tribuendam quoque esse videtur, quod ut testa-

tur *Beda lib. de Divisionib. tempor.* Lupercalibus Paganorum suffectum fuit. Ait enim idem Beda : *Secundum Mensem Numa dicavit Februo, idest Plutoni , qui lustrationum potens credebatur ; lustrarique eo Mense Civitatem necesse erat, quo statuit , ut Justa* (idest sacrificia) *Diis manibus solverentur . Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutavit Christiana Religio , cum in Mense eodem , die S. Mariȩ Plebs universa cum Sacerdotibus , ac Ministris hymnis modulatȩ vocis per Ecclesias , perque congrua Urbis loca procedit ; datosque a Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes .* Qui quidem Cerei in Processione , quȩ hac die per Ecclesiam fit, ex Sergii Papȩ institutione *Ord. Rom.* deferuntur quasi lucentes bonorum operum lampades , ut obviam Christo cum Virginibus eamus ; *ex eod. Beda*. Sive ut cum Simeone gestemus Christum, velut in ulnis , quem Cereus designat genitus ex ape opere virginali una cum melle Divinitatis. *Rupert. lib.* 3. *cap.* 25.

• Si hoc Festum Purificationis venerit in Dominicis Septuagesimȩ , Sexagesimȩ , & Quinquagesimæ, fit tantum Candelarum Benedictio , distributio, & Processio , & dicitur Missa de Dominica . Missa verò Festi transfertur in sequentem diem . *Rubrica*. Idem dicendum , si in Festo Purificationis occurreret Festum Patroni , vel Titularis Ecclesiȩ . Notandum autem , quod si Purificatio B. M. V. sit Titulus in aliqua Ecclesia , occurrente in Dominicis Septuagesimȩ &c. Missa quoque dicenda erit de eodem Festo cum Commemoratione Dominicȩ .

• Occurrente item hoc Festo post Septuagesimam ex-

extra diem Dominicam, tunc in Benedictione Candelarum, dicto a Celebrante *Oremus*, ante Orationem *Exaudi quęsumus Domine &c.* Diaconus genuflexus post Celebrantem, dicit *Flectamus genua*, omnibus genuflectentibus, excepto Celebrante; & Subdiaconus primus omnium surgens, dicit *Levate*.

• Quod spectat ad Benedictionem, & distributionem Candelarum, atque ad Processionem cum ipsis faciendam, ea (mutatis mutandis) servari debent, quę de Cinerum Benedictione, & impositione, nec non de Palmarum Benedictione, & Processione tradidimus verb. *Cineres*, & *Dominica Palmarum in Prima Parte*. Notandum tamen est, quod in Festo Purificationis post Benedictionem Cereorum, & Processionem deponuntur Paramenta violacea, & alba sumuntur pro Missa; nisi esset Dominica Septuagesimę &c. nam cantari deberet Missa de eadem Dominica cum iisdem Paramentis violaceis.

• In Missa Solemni hujus diei dum legitur Evangelium, debent omnes tenere Candelas accensas, quo cantato extinguuntur, & iterum tenentur accensę ad Elevationem SS. Sacramenti, usque ad completam Communionem Sacerdotis Celebrantis, aliorumque, si adsint communicandi. Diaconos tamen, & Subdiaconus numquam tenent Candelas accensas, sed Celebrans solùm dum cantatur Evangelium, & non amplius, *ex Bisso lit. M. n.* 248. & *Halden part.* 2. *tit.* 2. Si verò dicatur Missa de Dominica Septuagesimę, [vel de Patrono, aut Titulari, ut observant *Bralion, & Bissus*] Candelæ non sunt accendendę, *ex Cęrem. Epist.* & hoc idem docet *Halden supra.*

R E

REliquia insignis quæ censenda sit, dictum est *in Prima Dictionarii Parte* verb. *Symbolum*. Ratione autem Reliquiæ insignis fieri potest Officium Duplex minus in Festo illius Sancti, cujus insignis habetur Reliquia, *ex Decr. S. R. C.* 23. *Nov.* 1602. & si unum, vel plures socios habet Sanctus ille, quorum Officium fiat ab Ecclesia Universali sub Ritu Simplici, vide Decretum S. R. C. a nobis traditum verb. *Lectiones*.

Responsoria a respondendo deducit *Rupert.* 1. *de Off. cap.* 15. quia, inquit, respondent Lectionibus, tristia tristibus, lęta lętis, succinente Choro. Ex Alcuino autem dicuntur ita, quia a capite repetuntur; vel quia, ait *Isidor.* 1. *de Off. cap.* 8. uno canente, Chorus consonando respondet, ante unus, tunc duo, vel plures, Choro respondente. Et quia secundum Historiam ordinata sunt, ideo *Historia* etiam dicuntur Responsoria *a Micr. cap.* 32. Quo autem Ritu, & Ordine dicenda sint Responsoria pro temporum, & Officiorum varietate, patet ex Rubrica XXVII. *De Responsoriis* inscripta. Notandum tamen, quod, ut ait Rubrica citata, Responsoria, quę dici non possunt ob Festorum Duplicium occurrentiam, omittenda sunt. In recognitione enim Clementina Breviarii visum non est convenire, ut pro recitatione primorum Responsoriorum fiat Officium de Feria, translato Semiduplici Festo, vel suppresso quandoque ob hanc causam Festo Simplici. quod alias fiebat cum admiratione Populi, qui Missam de Sancto potius, quàm de Feria optabat audire. Excipienda tamen est Dominica secunda post Epiphaniam, cujus Officium, ut diximus verb. *Dominica*, re-

ci-

citandum est saltem in Sabbato prçcedenti, translato, si opus est, Fçsto Semiduplici. Responsoria de Tobia, si in Dominica, aut Feria 2. & 3. poni non possunt, ponantur Feria quarta, sed Feria 5. ne eadem immediatè repetantur, poterunt dici Responsoria 2. Nocturni Dominicç.

* Notandum item quod Tempore Paschali additur *Alleluja* ante versum, non versui, quod asserit de Romana consuetudine *Radulph. prop.* 12. quia in versu non finitur Responsorium, sed in ea parte, quæ a Choro repetitur, cui tamquam termino convenit augmentum lçtitiç.

* Notandum tertio, quod in ultimo cujuslibet Nocturni Responsorio (tempore Passionis excepto) additur Hymnus glorificationis *Gloria Patri &c.* quia, ut ait *Radulph. prop.* 12. Trinitati omne tempus prçteritum, prçsens, & futurum subiicitur. Priscis temporibus, ut ait *Amalar. de Ordin. Antiph. cap.* 1. non cantabatur *Gloria* post versum, sed repetebatur Responsorium. A modernis verò Apostolicis additus est Hymnus glorificationis prædictus, & integrè quidem dicebatur cum versu *Sicut erat &c.* quod nunc non dicitur, neque dicebatur tempore Radulphi, ut ipse testatur *prop.* 12.

* Notandum ultimo, quod Octavum Responsorium in Dominicis per Annum est de Trinitate *Duo Seraphim &c.* quia *ex Durand. lib.* 5. *cap.* 2. antiquitus Lectio nona semper erat de Trinitate; cui respondebat nonum Responsorium de eadem. Cessavit Lectio, translatum est Responsorium in octavum locum, & successit *Te Deum* in Laudem Trinitatis, vice Lectionis de eadem.

Responsoria brevia Horarum minorum, quo ordine qui-

quibusque mutationibus prȩsertim ad Primam pro Festorum diversitate, vide Rubricam XXVIII. *De Responsoriis brevibus Horarum* inscriptam.

Rogationes. De his quoad Officium, & Missam sermonem habuimus etiam in Prima Parte verb. *Litaniæ*; Sed hic addendum occurrit, quod Feria II. Rogationum est Feria major, adeoque quodcumque Festum in ea occurrat, etiam primæ Classis fieri debet de ipsa Feria Commemoratio in Officio, & Missa. De Feria III. autem nulla fieri debet in Officio de Festo etiam Simplici Commemoratio, sed tantum in Missa, & quidem post Commemorationem Festi Simplicis, si facienda occurrat, est enim Feria minor. Quod si festum in ea occurrens fuerit primȩ Classis, tunc neque in Missa Commemoratio de ipsa Feria facienda esset; in Festis enim primæ Classis neque de Festo Simplici fit in Missa Commemoratio, ergo eo minus debet fieri de hac Feria III. cujus Officium cedit etiam Officio Festi Simplicis. Idem dicendum de sequenti Feria IV. sed notandum, quod in hac Feria occurrit etiam Vigilia Ascensionis, de qua etiam in Officio de Festo fieri debet Commemoratio, nisi tamen Festum illud fuerit primæ Classis, tunc enim neque in Officio, neque in Missa de hac Vigilia facienda esset Commemoratio, ut notat *Castald. in Praxi lib. 3. sect. 9. cap. 6. n. 7. & Halden part. 1. tit. 27.*

Rocchettum, Gallica vox est Avenione forte, cum ibidem Summi Pontifices degerent introducta, nempe *Roquet*: Latina enim vox *Supparus*, quȩ *Superindumentum* significat, Gallicè vertitur *Roquet*: vel a Grȩco deducitur Idiomate, ut censet *Ignatius*

Brac-

Braccius, ex *Ro* scilicet particula, quę *Molle*, & *Delicatum*. & *Kiton*, quod *Tunicam* significat & pręcipuè Lineam, ita ut *Rochiton* Gręcè, sit Latinis Tunica mollior, & delicatior. *Linea* dicebatur etiam hæc vestis, quia ex Lino *ex Ord. Rom.* ideoque habetur ex Pontio, quod remansit in *Linea* Sanctus Cyprianus prope martyrium; hoc est in *Ruchetto*, ait *Baron. Ann.* 261. Manicas habet angustiores, ut ad opera bona manus sint expeditiores, *Gavant. part.* 2. *tit.* 1. *lit.* z. in cęteris significationem communem habet cum Superpelliceo, de quo proprio loco.

S A

SAbbatum Sanctum, sic antonomasticè dictum, quia ad suscipiendam Sancti Luminis claritatem nova Ecclesia Sacro Baptismi fonte sanctificatur. *Rupert. lib.* 6. *cap.* 25.

* Altare majus (& etiam minora si commodè fieri potest) pro Officio hujus diei vestietur duplici Pallio; interiore quidem albo pręțioso, & exteriore violaceo, quod amoveri possit circa finem Litaniarum *ex Cęrem. Episc. lib.* 2. *cap.* 27. Super idem Altare ponentur sex Candelabra cum totidem Cereis albę cerę, (quę extinctę relinquentur usque ad finem Litaniarum, ut infra) & Crux in medio discooperta. Tabernaculum autem SS. Sacramenti tegetur conopęo albo; sed super illud aliud violaceum superimponendum esset circa finem Litaniarum facilè amovendum. Lampades extinctæ ante Altare ita aptentur, ut facilè suo tempore accendi possint, ut infra dicetur. Imagines omnes in Ecclesia adhuc tectę remaneant, usque ad finem Litaniarum, exceptis Crucibus, quæ heri detectæ

fue-

fuerunt. *Bauldry de Sabb. Sanct. art. 1. n. 5.*

Ad latus Evangelii in plano prope locum, ubi regulariter cantatur Evangelium, paratur Candelabrum magnum pulchrè elaboratum, & eminens pro Cereo Paschali, qui debet esse cere albę. Item prope idem Candelabrum in plano paratur pes marmoreus, vel ligneus ad arundinem sustinendam post Benedictionem Cerei Paschalis. Item ante Cereum ipsum, quasi tamen ad ejus dexteram, paratur legile velo albo pulchro ornatum, & super illud Missale clausum, velo etiam albo tectum, pro legendo Pręconio. In alio etiam loco prope Altare parantur tres cussini violacei supponendi capitibus Celebrantis, & Ministrorum ad Litanias. Item extra Ecclesiam, vel in Atrio ipsius paratur Mensa aliqua in modum Altaris cum sola mappa munda, sine Cruce, & Candelabris, super quam ponatur Dalmatica, & Stola, & Manipulus albi coloris pro Diacono, *ut infra*. Item ibidem scamnum, seu mensula mappa tecta, cui superponatur vas cum carbonibus intus extinctis, seu lignis facilè accendendis. Paranda denique est arundo floribus, & auro undique ornata, altitudinis circiter decem palmorum, quę quidem esse debet vera arundo, & non alius baculus, ut aliqui male faciunt; *Bissus lit. An.* 460. in cujus summitate tres affigantur candelę ita inter se in calce, seu infima parte contortę, ut unam esse candelam videantur, & deinde in tres distinguantur ęqualirer intra se distantes ad modum trianguli, ad denotandum mysterium SS Trinitatis, & Unitatis, *Gavant. part. 4. tit. 10. n. 5.*

Dum autem dicitur Nona antiquus ignis, qui est in-

intra Ecclesiam extinguitur omnino, & per aliquem Acolytum, aut Sacristam novus ignis excutitur extra Ecclesiam de silice, vel cryftallo, de quo statim carbones accenduntur in prędicto vase, *ut supra* pręparato, & per eumdem, Acolytum asportatur propè prędictam Mensam extra Ecclesiam, vel in Atrio preparatam, arundo cum tribus Candelis *ut supra*. Et dicta Nona Celebrans paratus Pluviali violaceo super Albam, & Stolam, vel eo deficiente, Alba, & Stola tantum, Diaconus item Stola, & Planeta plicata, alioquin Stola tantum Diaconali, & Subdiaconus Planeta pariter plicata, vel Alba tantum, procedunt cum Clero extram Ecclesiam, vel ad aditum illius ad benedicendum novum ignem, hoc ordine. Pręcedunt simul tres Acolyti, quorum qui est medius defert vas cum Aqua benedicta, & asperforio intus, qui ad sinistram portat pelvim, in qua sunt quinque grana thuris pro Cereo benedicendo; qui autem ad dexteram portat Thuribulum sine igne, & Naviculam cum incenso, & cochleari intus; sequitur Subdiaconus solus sine Ceroferariis deferens Crucem, tum Clerus per ordinem in silentio, denique Celebrans cum Diacono a sinistris, manibus junctis, omnes nudo capite, excepto Celebrante. Et notandum, quod Dignitates, & Canonici transeuntes in hac Processione ante Altare majus, non genuflectunt Cruci; *ex Memor.* enim *Rituum pag.* 188. recitata Nona non amplius ipsi ante Crucem Altaris genuflectunt, sed profundam tantum faciunt inclinationem. Cum autem ad locum designatum extra Ecclesiam, vel in ejus Atrio pervenerint, Subdiaconus sistit se ad Portam Ecclesię

ei

ei renes vertens, faciem verò suam, & Imaginem Crucifixi, Celebranti. Clerus autem hinc inde disponitur ita ut juniores Cruci viciniores sint, & seniores Celebranti; qui Celebrans facie ad Portam Ecclesiæ versa, stat ante Mensam ibidem pręparatam; Diaconus autem a dextris ejus, paulò tamen post eum; & ibidem tres Acolyti, *qui supra*; videlicet ad dexteram Diaconi ille, qui de granis Incensi, ad dexteram hujus alter de Thuribulo, & ad dexteram Thuriferarii ille de Aqua benedicta, *Bauldry supra art.* 2. *n.* 6. Omnibus ita dispositis, Celebrans deposito bireto, quod per Diaconum traditur Cęremoniario stante paulò post Celebrantem a sinistris, benedicit novum ignem, junctis manibus, ut in Missali; deinde quinque grana Incensi, quæ substinet Acolytus, *qui supra*, in pelvicula ante pectus elevata, incipiens absolute ab illis verbis: *Veniat quęsumus &c.* sine *Oremus*, quasi conjungens Benedictionem Incensi cum præcedenti Benedictione ignis. De hisce Incensi granis meminit *Rupert. lib. 6. cap.* 31. & significari docet aromata a Mulieribus empta, ut ungerent Jesum. Dum benedicuntur grana Incensi, Thuriferarius ponet cum forcipibus de carbonibus benedictis in Thuribulo, in quo Sacerdos more solito imponit postea incensum, aspergit aqua benedicta, & thurificat grana incensi, & novum ignem, ut prescribitur a Rubrica, non omissis a Diacono debitis osculis dum porrigit Celebranti cochleare, Asperforium, & Thuribulum. Incensato igne, Diaconus, adjuvante aliquo Acolyto, depositis super Mensam supra dictam omnibus Paramentis violaceis, induitur Manipulo, Stola, & Dalma-

ti-

tica albi coloris, nihil dicens. Deinde iterum Celebrans imponit, & benedicit incensum in Thuribulo pro Processione facienda *ex Cęrem. Episc. supra*. Tum Diaconus, reddita Navicula Thuriferario, accipit dextera Arundinem, & ordinatur Processio, atque ipsius Arundinis Candelę accenduntur Ritu a Rubrica satis apertè prescripto. Illud tantummodo adnotandum est, quod cum pervenerit Celebrans ad Altare, ad illud statim ascendit, & eo osculato de more, accedit ad cornu Epistolę: Et interim Diaconus, data Arundine ei, qui candelam detulit, & accipiens de manu Cęremoniarii, aut alterius Librum super legile, ut diximus preparatum, ascendit ad supremum gradum Altaris, & genuflexus ibidem, absolutè non ministrans incensum, nec premittens *Munda cor meum*, conversus ad Celebrantem stantem in cornu Epistolę versus ipsum Diaconum, petit ab eo Benedictionem, aliis Ministris stantibus: qua accepta, non osculata ejus manu, ut apertè prescribitur *in Cęrem Episc. lib.* 2. *cap.* 27. §. 9. surgit, descendit in planum, ibique genuflectit, & omnes alii cum eo, excepto Subdiacono, & Ministro Arundinem ferente: tum procedit ad legile in cornu Evangelii, ut diximus preparatum, ibique omnes se collocant ordine a Rubrica prescripto; Et Diaconus incensato libro, ut fit ad Evangelium, incipit (Librum non signans, neque seipsum.) Paschale Preconium, *Exultet &c.*

A consecratione autem luminis incipitur Paschalis Solemnitas, quia æternæ lucis contulit claritatem, *Raban. lib.* 2. *cap.* 38. Verum, ut aliquid de hujus consecrationis origine complectamur, scien-

fciendum, quod ex veteri majorum confuetudine, ut optime oftendit *Ludovicus Thomafinus lib. 2. cap. 14. de celebrat dier. Feft.* Lumen diebus fingulis, five Feftivis; five privatis, nocte fere adventante cum precibus accendebatur, & Lampas, vel Cereus offerebatur veluti Sacrificium quoddam Divinum, illud Jefu Chrifti indicans. Sed Sabbatis fingulis Solemniori Ritu; Solemniffimo tamen in Pafchæ Pervigilio id peragebatur. Ex Glabro Radulpho autem. *lib. 4. Hiftorię cap.* 6. colligitur Sabbato Sancto dumtaxat veteris prædicti moris reliquias fuperfuiffe. Audivit enim de Aurelianenfi quodam Epifcopo a Paleftina, & Hierofolymis redeunte, dum Populus accenfas Lampades confpicere in votis haberet, ignem divinitus ex una earum erumpentem alias inflammaffe. En verba Glabrii..... *Eodem tempore Oldaricus Aurelianenfium Prçful illuc pergens, quid viderit, nobifque narraverit non prętermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab univerfo Populo præftolatur, ibi cum Cereis idem Præful adftabat. Jamque dies ipfa in Vefperum tranfiens..... ftatim Dei virtute erumpens ignis ex una Lampadarum, quæ feptem ibi pendere cernuntur, curfim eructando cęteros inflammavit.* Similis miraculi mentionem quoque facit Hugo Flaviniacenfis in Chronico Virdunenfi, ubi agens de itenere Hierofolymitano Riccardi Abbatis S. Victoris, hæc habet. *Venit dies Sabbati Sancti, quo expectabatur ignis a Domino, & Gentiles armati, Chriftianis introclufis, & beneplacitam voluntatem Domini de igne fufcipiendo præftolantibus, totam*

observaverant Ecclesiam : ut si ignis non adveniret , omnes gladio perimerentur . Cum ecce hora circiter nona omnibus orantibus , in una lampade ignis accensus est a Domino , nullius mortalium suffragante adminiculo : & Gentiles stupor apprehendit , & pavor : Christianos verò gaudium & exultatio , ut ab omnibus tota certatim caneretur Ecclesia : Magnus Dominus noster , & magna virtus ejus , & Sapientiæ ejus non est numerus . Hinc ne hujus insignis prodigii memoria pereat , optimè sancitum est , ut conservetur Benedictio novi ignis in Sabbato Sancto , & nonnisi ex eo accendantur Lampades , & Cerei , & sic incipiatur Officium Resurrectionis Domini.

* Completa autem Cerei Benedictione , idest cantato toto Præconio a Diacono , non defertur liber osculandus ad Celebrantem , nec ipse incensatur ; Diaconus verò claudit librum , ibique eum relinquit , & præcedente Thuriferario cum Thuribulo , & Subdiacono cum Cruce , vadit in Sacristiam , facta genuflexione Altari in medio : & interim Acolytus , qui Arundinem substinebat durante Prçconio , eam collocat super basem suam prope Cerei Candelabrum prçparatam . Posset etiam Diaconus , & Subdiaconus (deposita Cruce in loco congruo) cum Celebrante se recipere retrò Altare , si parieti non adhereat , ubi Celebrans deposito Pluviali , Planetam sumit , & Manipulum , Diaconus depositis Albis vestibus , sumit Manipulum , Stolam Diaconalem , & Planetam Plicatam violacei coloris , & Subdiaconus pariter Manipulum . Interim asportatur legile , in quo Prçconium cantatum fuit , & collocatur in medio Præsbyterii , seu Chori , ablato

velo albo, quo erat coopertum, & super ipsum jam denudatum collocatur Missale velo violaceo tectum, sed apertum ad legendum Prophetias. Celebrans autem procedit ad Altare cum Ministris Sacris paratis, ut supra, & legit Prophetias submissa voce in cornu Epistolæ adstantibus sibi Ministris Sacris ut ad Introitum Missę. Dum verò dicit Orationes, stant post ipsum unus post alium; & Diaconus dicit, genuflectens ante alios, *Flectamus genua*, & Subdiaconus surgens, ante alios, *Levate*: excepta ultima Oratione, quia tres Pueri, de quibus in ultima Prophetia, noluerunt genua flectere Statuæ Nabuchodonosor. Ordo autem legendi Prophetias hic erit: ut primas legant minores, postremas majores: & qui Prophetiam lecturus est procedit ad legile manibus junctis, facta genuflexione Altari, comitatus a Cęremoniario; & legit expeditè, *ex Castald.* ac si cantaret Lectiones Feriales, manusque semper tenet hinc inde extensas super Legile. Et finita Prophetia genuflectit cum Cęremoniario (aut alio Socio) ad Legile utroque genu: nec ante surgit, donec Subdiaconus dixerit *Levate*. Si tamen post Lectionem sequitur Tractus, Lector immediatè ea finita, vadit ad Altare, relicto Libro super Legile, ibique genuflectit in infimo gradu, & redit ad locum suum, quòd ita fit ab omnibus, sine osculo manus Celebrantis, *Bauldry*.

Expletis Prophetiis, si Ecclesia habuerit Fontem Baptismalem, Celebrans stans adhuc in cornu Epistolæ super suppedaneum, deponit Planetam, & Manipulum, adjuvantibus Ministris Sacris, (qui suos pariter Manipulos deponunt,) vel

Cę-

Cęremoniario, & Acolyto *ex Nic. de Bralion part.* 3. *n.* 1. *cap.* 15. Deinde accipit Pluviale violaceum; & Acolytus de Cruce (nam Subdiaconus in hac Processione Crucem deferre non debet, ut colligi potest ex Rubrica, & clarius *Cęrem. Episc. lib.* 2. *cap.* 28. §. 7. ubi dicitur, quod Celebrans post alios de Clero, procedit medius inter Diaconum, & Subdiaconum) Acolytus, inquam, de Cruce accipit Crucem Processionalem; Ceroferarii, factis debitis reverentiis, accipiunt Candelabra cum candelis accensis, & alius Acolytus Cereum Paschalem; & Processio ad Fontem ita ordinatur: Procedit omnium primus Acolytus Cereum ambabus manibus deferens: postea Cruciferarius cum Cruce medius inter Ceroferarios, deinde Clerus per ordinem bini simul, apertoque capite: ultimo sequitur Celebrans tecto capite, manibus junctis (facta tamen prius nudo capite reverentia Cruci) medius inter Diaconum, & Subdiaconum *ex Cęrem. Episc. supra*. elevantes fimbrias anteriores Pluvialis ipsius Celebrantis. Interim eundo Cantores inchoant Tractum, *Sicut Cervus desiderat &c.* quem Chorus prosequitur de more. Cum pervenerint ad Fontem, vel se locant hinc inde in duos Choros, vel quasi in gyro pro loci situ. Cruciferarius autem semper medius inter Ceroferarios, sistit se prope Fontem, sed ante Cancellos, ita tamen, quod hi faciem Celebrantis respiciant, ibique stent cum Acolyto de Cereo tamquam immobiles, *Horat. Christiani sect.* 5. *de Sabb. Sancto*. Celebrans verò medius inter Diaconum, & Subdiaconum, si Fons Baptismalis sit in Ecclesia, seu Cappella separata, in

ipso ingressu Ecclesię, seu Cappellæ, si autem fuerit in Ecclesia ubi celebratur, ante Cancellos Baptisterii, (*ex Horat. Christ supra*) cantabit in tono Feriali, *Dominus vobiscum*; deinde *Omnipotens &c.* pręmisso *Oremus* ut in Missali. Deinde in Baptisterium ingrediens, ibi juxta Fontes detecto capite, & manibus junctis Ministris Sacris hinc inde stantibus, sed paulo post eum, dicit mediocri voce, *Dominus vobiscum* & Orationem, ut in Missali, in cujus fine attollit vocem cantando *Per omnia sęcula sæculorum* in tono Pręfationis, quam prosequitur, ut in Missali. In ea autem Sacerdos orat Deum, ut sit pręsens tantis Mysteriis, movetque astantes in Deum ad eumdem finem, ut Deus audiat, *Gavant.* Ter aquam manu tangit. Primò dividens in formam Crucis, a qua pendet effectus Baptismi. Secundo tangit simpliciter, quia manu Sacerdotali opus est etiam in Baptismo ad fugandos Demones. Tertio proiiciens, & effundens aquam versus quatuor Mundi partes: quia Baptismus omnes homines attingit, non Circumcisio. Facit etiam manu varias Cruces super aquam ut benedicatur a Trinitate per virtutem S. Crucis. Item in eadem Pręfatione mutat vocem ter; primo per modum Orationis: secundo per modum Præfationis: tertio per modum Lectionis. Halat ter in modum Crucis, ut cum Cruce Trinitatem conjungat, a quibus habet vim Baptismus. Demittit Cereum in aquam, & elevat ter: demittit autem profundè, profundius, & profundissimè, ut Spiritus Sanctus sua plenitudine fontem impleat, sicuti quando descendit in specie columbę in Baptismo Christi adumbrati in hoc

Ce-

Cereo demerso in aquam. Infundit denique Oleum, & Chrisma, & illa commiscet, ut indicetur conjunctio Christi per Baptismum cum Populis Ecclesię. Dum autem Celebrans tangit aquam, Diaconus postea ministrat ei Mappulam ad tergendas manus ipsius: & dum signat aquam signo Crucis, Diaconus ipse elevat fimbrias Pluvialis ejus, & similiter dum aquam tangit, Cereum demittit, aut Oleum infundit. Antequam autem Celebrans infundat Olea in aquam, accipitur per aliquem Acolytum de ipsa aqua benedicta ex Fonte in vase consueto, & ministrante Diacono de more Aspersorium, Celebrans aspergit se, & circumstantes Ministros cum dicta aqua benedicta, nihil dicens: *Bauldry art. 4. n. 7. de Sab. Sancto*. Deinde reddit Aspersorium Diacono, & hic Acolyto, qui vas gestat aquę benedictæ, ipsumque Aspersorium tradit alicui Sacerdoti Cotta, & Stola violacea induto, qui ab eodem Acolyto cum dicto vase associatus, aspergit de ipsa aqua benedicta reliquos de Clero, ac Populum per Ecclesiam. Atque interim Sacrista, vel alius infundit in aliud vas amplum ad hoc pręparatum partem illius aquę, eamque servat ad aspersionem locorum, domorum, & aliarum rerum, & pręcipuè in sequentem diem pro aspersione Populi ad Missam.

• Advertendum, quod *ex Decreto S. R. C. 13. Jul. 1697.* Benedictio aquę hac die etiam sine infusione Olei Sancti, fieri non potest in Ecclesiis non habentibus Fontem Baptismalem, quamvis usus sit in hujusmodi Ecclesiis talem Benedictionem fieri.

• Completa Fontis Benedictione Celebrans, & omnes

alii redeunt ad Altare eo ordine, quo accesserunt ad Fontem, sed antequam ab eo discedant, duo Cantores incipiunt cantare Litanias, & Chorus respondet, repetendo illud idem, quod Cantores dixerunt, ut sic Litaniæ dicantur Ritu Duplici. Cum autem ad Altare pervenerint, Celebrans, & Ministri retrahunt se versus cornu Epistolę: ibique depositis Pluviali, & Planetis plicatis, statim revertuntur ad Altare, & genuflexi in plano ante infimum gradum, procumbunt superponentes capita sua cussinis in secundo Altaris gradu jam positis. Et interim duo Cantores genuflexi ante scabellum in medio Chori Litanias prosequuntur prædicto Ritu (quas ibi incipiunt in Ecclesiis non habentibus Fontem Baptismalem). Et cum perventum fuerit ad versum *Peccatores*, Celebrans, & Ministri Sacri surgunt, & facta debita reverentia Altari recedunt in Sacristiam, ubi se parant paramentis Albis pro Missa Solemni. Cantores autem quę supersunt in Litaniis lentius cantant, si opus est, ut ea, de quibus infra, fiant tempore congruo, & ne mora, aut silentium interponatur inter Litanias, & Missam. Postquam autem Celebrans, & Ministri surrexerint, removentur cussini per Sacristam, vel per Acolytos, & super Altaris gradus Tapetem Festivalem extenditur; candelę Altaris per Acolytos accenduntur, nec non candelę in Candelabris ab ipsis deferendis; alius Acolytus removet pallium Altaris violaceum, extendit velum Tabernaculi in parte anteriori, vel ablato Conopęo violaceo, album detegit, seu aptat; amoventur Missalia violacea, ponuntur alba; Thuriferarius apponit ignem in Thuribulo; Sacrista, aut alii detegunt Imagines per Ecclesiam.

Ce-

• Celebrans, & Ministri in paramentis albis, dum a Cantoribus, & aliis de Choro solemniter cantatur *Kyrie eleison*, procedunt de Sacristia ordine verb. *Missa Solemnis* tradito, pro Missa solemniter decantanda, in qua pręter ea, quę in Missa Solemni tradidimus, hęc sunt notanda.

• Et primò quidem, Intonato Hymno *Gloria in excelsis*, & non prius, pulsantur omnes omninò Campanę, quę sunt in Ecclesia, & Cappellis, & tintinnabula, quę inserviunt ad Elevationem Sacramenti in Missis privatis: prӕterea pulsantur, & Organa, ubi habentur, sed Chorus non prosequitur Hymnum nisi postquam desierit omnino sonitus. Campanularum, & Organorum ne voces confundantur. Majores tamen Campanę existentes in Turri Campanaria, non debent pulsari, nisi postquam pulsatę fuerint Campanę Ecclesiӕ Cathedralis, seu Matricis, scilicet principalis in eo loco, etiam si esset tantum Parochialis.

• Item Cantata Epistola a Subdiacono, ipse Subdiaconus osculatur de more manum Celebrantis, & accipit Benedictionem ab eo: Deinde, & non prius, contra multos, ipse Celebrans stans in eodem cornu Epistolę, astantibus sibi Ministris, ut ad Introitum, incipit gravi voce cantando *Alleluja*, omnibus in Ecclesia stantibus, & Chorus in eodem tono, & voce illud repetit: deinde Celebrans secundo, & tertio repetit *Alleluja* vocem gradatim elevando, & idem repetit Chorus pro qualibet vice. *Hyppolit. a Portu Rubr.*12. *in adn. n.* 3. Advertere autem debet Celebrans, ut prius voce demissiori incipiat *Alleluja*, ut secundo, ac tertio illam absque indecentia elevare possit.

Ad Evangelium non portantur luminaria, sed tantum incensum, quo significantur aromata Mulierum ad monumentum sine lumine fidei, quia putabant Christum hominem mortuum. *Alcuin*. Stant tamen Ceroferarii manibus junctis a lateribus Subdiaconi, & signant se cum Diacono, cum non teneant Candelabra. Non dicitur *Credo*, quia nondum Apostoli credebant Resurrectionem Christi; nec Offertorium, quia, *ex eod. Alcuin.* Mulieres sub silentio ibant cum aromatibus ad Sepulcrum: vel forte quia in hac Missa nemo communicabat, ideoque Oblationes non fiebant a Populo, quæ, ut diximus verb. *Oblatio*, fiebant dum a Choro Offertorium cantabatur. Ad Psalmum *Lavabo* dicitur *Gloria*. Pacis osculum non datur, quia nondum dixerat Christus Apostolis, *Pax vobis*, nec dicitur, *Agnus Dei*, ob silentium Mulierum, quę nondum credebant Christo Redemptori animarum ad tollenda peccata Mundi. *Durand. cap.* 85. Nemo regulariter communicat in hac Missa, excepto Celebrante, quia est Missa noctis, etiamsi ipso die occurrat Festum Annunciationis B. M. Si vero in Parochia velint aliqui pro Paschate Communionem accipere, id fiat non in Missa, sed post, & non ad Altare, sed ad locum, vel Cappellam remotam ab Altari majori. *Bauldry de Sabb. Sanct. art.* 5. *n.* 15.

Post Sanguinis sumptionem, Dignior in Choro, Cantore pręintonante, inchoabit pro Antiphona Vesperarum *Alleluja*, quam Chorus prosequitur & Cantores Psalmum *Laudate Dom. omnes gentes* alternatim utroque Choro prosequente, intonabunt. Et Celebrans, sumpta ablutione, assistente sibi Diacono, legit prædictam Antiphonam,

&

& Psalmum in cornu Epistolę ; qua Antiphona repetita in Choro , idem Celebrans alta voce inchoat Antiphonam ad Magnificat , *Vespere autem Sabbati* , quam Chorus prosequitur , & Celebrans cum Ministris submissa voce . Dum autem a Cantoribus post cantatam Antiphonam intonatur *Magnificat* , Celebrans se signat , & accedit ad medium Altaris , ubi , Diacono ministrante , imponit incensum in Thuribulo , & benedicit , & statim incensat Altare more solito ; quo incensato & ipse triplici ductu a Diacono Thurificatur ; deinde idem Diaconus incensat Chorum , & reliquos more solito : & interim Celebrans cum Subdiacono incipit : & prosequitur *Magnificat* usque ad finem alternatim . Repetita autem a Choro Antiphona , Celebrans versus Populum in medio Altaris dicit *Dominus vobiscum* , & Missam de more prosequitur , in cujus fine Diaconus versus Populum cantat *Ite Missa est alleluja alleluja* . Et Missa finita , redeunt in Sacristiam , ubi facta Imagini debita reverentia , Dominicę Resurrectionis gaudia mutuo sibi annunciant .

Salve Regina . Vide *Antiphonę B. M. V.*

Superpelliceum , (quod Hetrusci *Cottam* vocant a Gręco fortasse vocabulo *Chiton* quod Tunicam, seu *Chetan* , quod lineam significat) antiquitus induebatur supra tunicas pelliceas de pellibus animalium factas , *Durand. lib.* 3. *cap.* 1. ad indicandam innocentiam supra peccatum Adę , quem vestivit Deus tunica pellicea , ideoque coloris albi est hęc Vestis , & *Superpelliceum* dicta . Induitur etiam nunc super communes Vestes , quia charitas operit multitudinem peccatorum : & habet formam Crucis , ut Passionis Christi vesti-

stigia imitetur Ecclesiasticus. *Durand. loc. cit.*

Symbolum Apostolorum quoties in Officio, & quo Ritu dicendum sit, patet ex Rubrica XXXIII. *De Symbolo Apost. &c.* Hoc autem Symbolum ab Apostolis compositum differt a Niceno, sive Constantinopolitano, quod dicitur in Missa, de quo in Prima Parte verb. *Symbolum*.

Symbolum S. Athanasii dicitur ad Primam post Psalmum *Retribue*, quando Officium fit de Dominica. Non dicitur autem in Dominicis infra Octavam Nativitatis D. Epiphanię, Ascensionis, & Corporis Christi, nec in Dominicis Paschatis, & Pentecostes: quia harum Officia non sunt propriæ Dominicalia, neque in aliis Dominicis eadem de causa dicitur, in quibus fit de Festo Duplici. In Dominica, seu Festo SS. Trinitatis dicitur, quia Symbolum de Trinitate doctrinam continet; non tamen quotidie dicendum est, ubi celebratur Octava SS. Trinitatis, sed tantum in die Octava, ut post varias Auctorum quęstiones declaravit *S. R. C. die* 8. *Jun.* 1709. & *die* 5. *Maii* 1736. Hoc autem Symbolum Laudabilius recitatur stando, quam sedendo *ex Decr. S. R. C.* 23. *Dec.* 1624. Ejus Auctor utrum verè fuerit S. Athanasius in controversia est apud Auctores.

T I

Titularis Ecclesię est, a quo denominatur Ecclesia, puta Sancti Joannis, Sancti Bartholomęi &c. In quibus autem Titularis differat a Patrono loci diximus verb. *Patronus*. Ecclesia autem, & Titulus idem erat antiquitus; Ecclesię enim in Urbe per Titulos distinguebantur, & in loco Ecclesię construendæ figebatur Crux in Titulum. *Ord. Rom.*

Rom. cap. de ædific. Eccl. Non omnis tamen Ecclesia Romę Titulus dicebatur, sed tantum insigniores, quibus pręficerentur Cardinales: unde *Titulus Pastoris* dicta est Ecclesia S. Pudentianę *in Martyrol.* 20. *Jul.* & *Titulus Eudoxię* Ecclesia S. Petri ad Vincula. S. Evaristus creatus Pontifex Anno Domini 95. Titulos in Urbe Roma Presbyteris divisit, idest Ecclesias, in quibus Christiani Synaxes agere consueverant; ut tradit *Anastasius*, sive alius Auctor Libri Pontificalis. S. Marcellus postmodum, qui Anno 308. in Romanum Pontificem ordinatus est, vigintiquinque Titulos Romę constituit, seu Parochiales Ecclesias propter Baptismi, & Pęnitentię administrationem, & propter Martyrum sepulturas; ut idem scribit *Anastasius* in ejusdem Pont. vita.

Tituli, vel Patroni Festum si occurrat eodem die cum alio secum descripto in Kalendario sub una ratione Festi Duplicis, vel semiduplicis, tunc fit de solo Patrono, vel Titulo sub Ritu Duplicis primę Classis cum Octava; & nihil de Socio, qui ea die omittitur, & transfertur, seu mutatur perpetuò in primam diem non impeditam, tuncque fit de eo sub Ritu Semiduplici, ut docet *Gavant. sect.* 3. *cap.* 10. *n.* 11. ubi affert exemplum Ecclesię dicatæ S. Sebastiano. Sed notandum, quod si S. Sebastianus, vel quilibet alius habens Socium in Kalendario, fuerit Patronus minus principalis, Officium fieri debet de ambobus eodem die juxtà Decreta S. R. C. 22. *Nov.* 1698. & 16. *Sept.* 1730. Si autem Patronus vel Titularis sit altioris Ordinis ex. gr. S. Philippus Apostolus, cujus Festum in Kalendario occurrit eodem die cum S. Jacobo Apostolo, tunc

de

de Translato, nempe de S. Jacobo fit sub Ritu Duplici secundæ Classis, quia est unus de duodecim Apostolis, ut optimè notat *Gavant.* Denique si plures Sancti, quorum unus est Titularis sunt sub Ritu simplici in Kalendario, tunc in ea Ecclesia fit tantum de Titulari sub Ritu Duplici primæ Classis, & de Sociis, licet translatio fieri non debeat, quia Simplicia Festa non transferuntur, attamen cum hæc omissio sit perpetua, posset fieri recursus ad Sacram Congr. ut provideat, assignando, ut aliàs providè fecit, aliam diem pro Sanctis illis perpetuò impeditis.

Titularis Altaris, seu Cappellę intra Ecclesiam. Vide *Beneficiatus*. Sed hìc addendum, quod si Sanctus Titularis alicujus Altaris sit descriptus in Kalendario sub Ritu tantum Simplici, & occurrat in Festo aliquo Semiduplici, Missa de Sancto illo Titulari celebrari poterit more Votivo, cum Orationibus scilicet ut in Votivis, sed in ea dici potest *Gloria in excels.* ut dictum est in Prima Dictionarii Parte, verb. *Gloria in excelsis Deo*. Quę Missa hoc Ritu celebrari poterit etiam si Sanctus ille non sit descriptus in Kalendario, sed tantum in Martyrologio. *Quarti part. 1. tit. 4. dub.* 7. & alii communiter. Quod si in die Festo ejusdem Sancti Titularis Altaris occurrat Festum Duplex, vel Dominica, sive alia dies impedita, Missa de Sancto illo Titulari non potest celebrari neque prædicto more semifestivo, ut optimè notat *Guyetus lib. 4. cap. 21. quæst.* 10.

Titularis Cappellę, seu Oratorii Publici Campanili, & Campana instructi celebrari potest sub Ritu Duplici primę Classis, & cum Octava, dummodo hujusmodi Cappella habeat unum, vel plures de-

designatos Cappellanos, qui teneantur ex fundatione quotannis illic aliquoties facere Sacrum: ac consecrata proindè, & dedicata sit modo, ac Ritu aliarum Ecclesiarum publicarum. Prędicti autem designati in hujusmodi Oratorio Cappellani, illius Dedicationis, & Titularis Festum celebrare tenentur; Oratorium enim hujusmodi eorum propria Ecclesia rectè vocari potest, adeoque illius Dedicationem, & Titularis Festum eo Ritu, quo solet propria cujusque Ecclesia colere debent. Ita tenet *Gobat tract.* 3. *n.* 696. *Appendic.* 2. ubi variis auctoritatibus suam sustinet sententiam etiam quoad Oratoria intra, & extra Ædes Religiosas, pro quibus tamen videantur apud præfatum *Gobat loco citato*, Auctorum opiniones.

Titularis Ecclesię Parochialis colendus est Ritu primę Classis, cum Octava ab omni Clero, qui eidem Ecclesiæ est ascriptus. Regulares, si talis Parochia est in Civitate, non tenentur ad Festum Tituli Parochialis, ut dictum est verb. *Patronus*: si autem in aliqua Parochia Rurali situm sit Religiosorum Monasterium, hi quoque ex *Pisart.* Festum Patroni, seu Titularis Ecclesiæ Ruralis colere debent sub Ritu Duplici primæ Classis sine Octava. Verum hoc admittendum non videtur, ut ait *Meratus sect.* 3. *cap.* 12. *n.* 7.

Titularis Veteris Ecclesię adhuc stantis, cujus tamen jus Parochiale translatum est ad aliam Ecclesiam de novo, ac loco commodiore ædificatam, debet quotannis a Parocho, & suo Clero celebrari Ritu Duplici primę Classis, & cum Octava. *Gobat tract.* 3. *n.* 696.

Translatio Festorum quando, & quo ordine fieri debeat

beat, patet ex Rubrica X. *De Translatione Festorum* inscripta.

* Notandum tamen, quod si in Dominicis in Albis, vel Trinitatis, sive in qualibet alia Dominica per Annum aliquod Festum occurrat, quod ex prędicta Rubrica transferri debeat, licet Festum illud jus habere videatur ad dictam Dominicam, in sequenti tamen Feria secunda non impedita fieri debet de Sancto prius translato, ordine servato Dignitatis, & Kalendarii; *Gavant. ex Rubr. præd. n.* 7. De Semiduplici occurrente in Dominica infra aliquam Octavam non privilegiatam diximus verb. *Octava*. Atque ibidem dictum est etiam de duobus Festis Duplicibus occurrentibus eodem die infra aliquam Octavam non privilegiatam.

* Quid, si Patronus, vel Titularis occurrat eodem die cum alio Sancto secum descripto in Kalendario sub una ratione Festi Duplicis, vel Semiduplicis, diximus verb. *Titularis*. Occurrente autem eodem die in Ecclesia Regularium, Festo Patroni principalis loci, cum Festo Titularis illius Regularis Ecclesię, debent Regulares illi, *ex Gavanto sect.* 3. *cap.* 10. *n.* 15. Officium recitare de Patrono loci, translato Titulari proprię Ecclesię, qui est minus Dignus. Hanc tamen Gavant. sententiam refellit *Guyetus lib.* 4. *cap.* 12. *qu.* 2. cui *Meratus* etiam adhęret: nam *ex Decr. S. R. C.* 23. *Jun.* 1736. habetur, quod in occurrentia Festorum ejusdem Ritus, & alias quomodocumque parium, primum locum habebit Officium Ecclesiæ particularis, secundum Ordinis, seu Religionis, tertium Diœcesis, quartum Nationis, quintum Ecclesiæ Universalis. Ac pręterea, ut idem *Meratus* optimè notat, Regulares majori

cum

cum Solemnitate Festum Titularis propriç Ecclesię celebrant, quia cum Octava, quàm Festum Patroni loci, quia sine Octava illud debent celebrare. Quod si Festum Patroni loci esset sub prçcepto observandum cum obligatione audiendi Sacrum, & abstinendi ab operibus servilibus: tunc *Gavanto* adhærendum videretur; nam Populus eo die in Ecclesiis Regularium confluens, Missam de Sancto suo Patrono libentius audit, quam de Titulari illius particularis Ecclesię; & major est quidem habenda ratio publicę celebrationis Cleri, & Populi, quam solius Cleri.

Notandum item, quod Officia Sanctorum non ex accidenti, sed constanter propter occursum majoris Festi perpetuò sunt impedita, atque a proprio die amota, non intelliguntur transferri, sed permutari; adeoque ex *Decretis S. R. C.* 2. *Jul.* 1712. *&* 20. *Nov.* 1717. *ac* 15. *Maii* 1745. prima dies proximè non impedita, assignata censeri debet in perpetuum pro die propria, & fixa hujusmodi Officiis sic translatis, itaut si celebrentur sub Ritu Duplici, etiam in occursu Dominicę tali die sint celebranda. Si vero hujusmodi Festa ita translata iterum moveri ex necessitate contigerit a die sibi semel assignata, non est opus, ut cętera alia Festa, quæ post prędicta translata sunt, a diebus sibi respectivè assignatis denuò removeantur: nisi forte nova Kalendarii constructio ex integro assumeretur. *S. R. C.* 22. *Aug.* 1744. Eodemque die, & Anno S. R. C. hoc aliud edidit Decr.: nempe: Non decet assignari Festis etiam Semiduplicibus a propria die ob aliquod impedimentum perpetuò translatis, dies illos infra Octavam non privilegia-

giatam ab alio occurrenti Festo non impeditos, qui dies habeantur, & sint in posterum sedes fixa talium translatorum. Immo *die* 15. *Maii* 1745. eadem Sacra Rit. Congr. decrevit, quod Festa plura de pręcepto eadem die occurrentia possunt stabiliri infra illas Octavas privilegiatas, quę hujusmodi Festa occurrentia non excludunt, licet excludant translata, ut est Octava Corporis Christi, quę admittit Duplicia occurrentia, non autem translata. Stabiliri autem non possunt infra eas Octavas, quę hujusmodi Festa occurrentia excludunt, juxta Regulas præscriptas in Rubrica *De Octavis n.* 3. Nonnullę autem alię difficultates in transferendis Officiis ratione Octavarum, jam explicatę sunt verb. *Octava*.

Notandum tertio, quod Festa ad libitum transferri non possunt. Sed vide *Festa ad libitum*: Advertendo, quod si Festum aliquod Semiduplex ad libitum, quod antea fuerat Simplex de præcepto occurrat ex. gr. in Dominica, tunc nona Lectio de eo legi debet, & fieri Commemoratio ac si foret adhuc simplex: Festa enim Simplicia numquam transferuntur, sed occurrentibus cum Festo novem Lectionum, fit de iis Commemoratio legibus verb. *Commemoratio* ex Rubrica traditis. Item non possunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quę sunt concessa pro locis, & Ecclesiis particularibus ad eorum instantiam: (ut diximus etiam verb. *Officium*) at quando Officia prędicta sint de pręcepto pro aliquo statu, sicuti sunt Officia plura B. M. V. concessa a Benedicto XIII. pro statu Ecclesiastico affixa certis diebus transferantur *S. R. C.* 5. *Maii* 1736. Qua propter Officium Patrocinii S. Jo-

Joseph affixum Dominicę tertię post Pascha, si occurrat ea Dominica Festum altioris Ritus, vel majoris Dignitatis, ut Festum Inventionis S. Crucis, transferendum est in primam diem non impeditam, quæ tamen non sit Dominica. *S. R. S.* 22. *Apr.* 1741. Attenta autem dignitate personæ, licet ęqualitas Ritus sit inter Festum S. Marci Evangelistę, & SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, ac S. Joseph, Officium vero de Patrocinio S. Joseph est recitandum, si cum prędictis Solemnitatibus occurrat *S. R. C.* 11. *Maii* 1743. Nulla verò disparitas adest inter Translationem Festorum Apostolorum, & Evangelistarum, sed occasione dictę Translationis, faciendum est Officium, quod prius in Kalendario proponitur *S. R. C.* 18. *Sept.* 1666.

Notandum ultimo, quod si Translatio alicujus Festi fiat a tempore Paschali ad tempus non Paschale, recitandum erit Officium temporis non Paschalis: parique ratione translato aliquo Festo a tempore non Paschali ad Paschale, Officium prout in tempore Paschali recitari debet. *Gavant. sect.* 3. *cap.* 10. *n.* 10.

V E

VEsperę penultima ex Horis Canonicis, quę Hora duodecima diei recitabatur, ut diximus verb. *Horę Canonicę*, & a Sydere, quod *Vesper* nominatur, & decidente Sole oritur sic dicta est, ait *Isidor. lib.* 1. *de Off. cap.* 20. Lucernarium dicebatur ab Hieronymo *in Epist. ad Lętam*; Et Lucernaris Hora a Cassiano *lib.* 3. *de Can. cap.* 3. eo quod dum Lucernę accenderentur, preces Vespertinę persolvi solebant, ut colligitur ex Officio Mozarabico, in quo Vesperę

incipiunt ab Oratione, quæ recitatur dum Lampades accenduntur, diciturque *Lumen offerre*. Recitatur autem *Kyrie*, *Christe*, *Kyrie*, *Pater noster*: deinde *In nomine Domini Jesu Christi lumen cum pace*, *Amen*, *hoc est*, *Lumen oblatum*. ℟ *Deo gratias*.

* A primis autem Vesperis inchoatur Festum; quod forte a Davide deduci potest: *Vespere* (inquit Psalm. 54.) *mane*, *& meridie narrabo &c.* sive, ut docet Amalar. *de Ord. Antiph. cap.* 16. ab Hebræis, quibus dictum: *Festa vestra celebrabitis a Vespera usque ad Vesperam*. Primę Vesperę nobiliores sunt secundis, teste *Amalar. loco cit.* & patet ex Rubrica *de Commemorationibus*: excludunt enim primę Vesperę Commemorationem Festorum altioris Ritus quàm secundę.

* In Feriis Quadragesimę incipiendo a primis Vesperis Dominicę primę Vesperæ dicuntur ante comestionem. *ex Conc. Cabillon. de consecr. dist.* 1. *cap.* Solent. Antiquitus enim solvebatur jejunium Hora Cęnę in Quadragesima post Vesperas: nunc autem, licet, comestionis Hora anticipemus, retinemus tamen vocabulum Cęnę, cui benedicimus ea prece, quæ adhibetur ad Cęnam: *Edent pauperes &c.* atque ut juxta antiquum Ecclesię morem jejunium nonnisi post Vesperas solvatur, Vesperę pariter anticipatè recitantur circa Meridiem. Et notandum, quod extra Chorum non tenemur ante comestionem recitare Vesperas, nisi ex quadam congruentia. Concilium enim Cabill. intelligitur de publica in Choro recitatione. *Gavant. sect.* 6. *cap.* 10. *n.* 6.

Vigilię a vigilando dictæ sunt, eo, quod primis Ecle-

clesię temporibus solerent Fideles in precipuis Festivitatibus noctem in Ecclesia Divinis laudibus consecrare. Noctem enim in quatuor ęquales partes dividebant, quarum quęlibet tribus horis constabat, modo tamen brevioribus, modo longioribus juxta Anni temporum varietatem, ex qua noctium inæqualitas pendet. Et hæ quatuor partes totidem noctis vigiliis respondebant; quarum prima incipiebat ab occasu Solis, & terminabat in horam tertiam, & dicebatur *Conticinium.* Secunda incipiebat ab Hora tertia, & terminabatur in horam sextam, & dicebatur *Intempestum*. Tertia incipiebat ab hora sexta, & terminabatur in nonam, & dicebatur *Gallicinium*: Quarta, quæ propriè dicebatur Vigilia Matutina, incipiebat ab hora nona, & terminabatur in duodecimam, idest usque ad ortum Solis, & dicebatur *Antelucanum*. Et notandum quod hę Vigilię noctis præcesserunt etiam legem Evangelicam, tum apud Ethnicos, qui has nocturnas Vigilias in honorem Deorum celebrarunt, ut tradit *Card. Bona Div. Psalm. cap.* 4. tum apud Judeos ut constat ex pluribus Sacrę Scripturę Veteris, & Novi Testamenti locis, in quibus harum Vigiliarum fit mentio. In desuetudinem vero apud Christianos abierunt hę Vigilię Populorum potius negligentia, ac oscitantia, quam Bonifacii I. Decreto, aut Concilii Antisiodorensis Canone 5. quo Vigiliæ quidem anili superstitione inductæ in privatis ædibus ad honorem quorumdam Sanctorum tantummodo vetitę fuerunt, non vero Vigilię illę, quę ex antiquo Ritu fieri consueverant: quę tamen in aliquibus insignioribus Ecclesiis ante aliquod Festum Solemne, pie,

ac laudabiliter ahduc observantur: ex. gr. in Ecclesia Aurelianensi in nocte Inventionis S. Crucis, testante *Guyeto lib. 1. cap. 17.* nec non in Ecclesia Cenomanensi in nocte S. Juliani, & in Ecclesia S. Martini Turonensis in nocte Festi transitus ejusdem Sancti. Denique per universam Ecclesiam in nocte Nativitatis Domini.

Vigilię autem nomen remansit ad significandum jejunium, quod sive jure scripto, sive jure tradito, aut generali consuetudine servatur pridie Festorum Solemniorum. Jure quidem scripto in Pervigiliis Nativitatis Domini, Assumptionis B. M. & omnium Apostolorum, prӕterquam Philippi & Jacobi, ac Joannis Evangelistę. Generali vero consuetudine (vim pręcepti habente), sive prӕcepto tradito, & non scripto, ut vult Cardenas, & alii Theologi, in Pervigiliis Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistӕ, S. Laurentii, & Festivitatis omnium Sanctorum. Preter has Vigilias duę alię recensenter in Breviario, Epiphaniӕ scilicet, & Ascensionis Domini, de quarum jejunio lex nulla est ob lӕtitiam Natalis Domini, & ejusdem Resurrectionis: quibus pariter de caussis non jejunatur in Vigiliis SS. Joannis Evangelistę, & Philippi, & Jacobi.

Vigilia occurrens in Dominica, transfertur in Sabbatum pręcedens, exceptis Vigiliis Nativitatis Domini, & Epiphanię, de quibus fit Officium eo die, quo occurrunt. *Radulph. prop.* 19.

Vigilia occurrens in Festo primę Classis, in Officio nullum habet locum, neque etiam Commemorationem, ne Solemnitas imminuatur: excipienda est tamen ab hac regula Vigilia Epiphanię, in qua si occurrat Festum Duplex etiam primę

Clas-

Classis, debet de ea fieri Commemoratio in primis Vesperis, & Laudibus, cum nona Lectione de Homilia, item in Missa cum Evangelio in fine, ita advertit Guyetus *lib. 4. cap. 5. qu. 5.* & Bissus *lit. V. n.* 52. Congruum autem esset, ait Gavantus, occurrente aliqua Vigilia in Festo primę Classis, auctoritate majorum anticipari jejunium ante illud Festum eo modo, quo testatur *Navar. in Man. cap.* 21. *n.* 11. Leonem X. statuisse, ut eo Anno, quo Vigilia S. Joannis Baptistę incidit in Festum Corporis Christi, pridie ejusdem Festi jejunetur, quarta scilicet Feria. Quod Leonis Decretum a Sacra Rit. Congr. *die* 24. *Sept. Ann.* 1638. confirmatum, Urbanus VIII. laudavit, & idcirco super hoc expedivit Breve confirmatorium apud Cherubinum *in Bullario Rom.* Tom. 4. *Const.* 152. *quę incipit* Cum evenire *edita eodem Anno* 1638. *die* 13. *Octobr.* Notandum verò, quod anticipato jejunio in prędicta Feria quarta (seu qualibet alia respectu aliarum Vigiliarum occurrentium in Festis primæ Classis) anticipari non debet Officium, seu Commemorationem Vigilię in Officio illius diei, ut decrevit *S. R. C.* 18. *Sept.* 1706. quod quidem Decretum a Clemente XI. qui prędicti dubii discussionem ad eamdem Congregationem remiserat, approbatum fuit *die* 2. *Oct.* 1706.

Vigilia item occurrens in Feriis majoribus, in Adventu scilicet, Quadragesima, & Quatuor temporibus, nullam habet in Officio Commemorationem *ex Rubrica*: quia, ut ait *Gavantus*, pro Commemoratione Vigiliæ legi non potest congruenter Homilia post Homiliam Ferię in Officio trium Lectionum, quæ eo casu sunt, vel

de Scriptura occurrente, ut in Adventu, vel de Homilia, ut in Quadragesima, & Quatuor temporibus: & hoc quidem ut ait Lohner *part.* 5. *tit.* 5. est speciale privilegium, aut potius requisitus Vigiliarum, ut si de iis Officium, aut nona Lectio dici nequeat, etiam Commemoratio de eisdem omitti debeat.

* Notandum tamen, quod occurrente aliqua Vigilia in Adventu, licet in Officio nulla fieri debeat de ea Vigilia Commemoratio, Missa tamen dicitur de Vigilia cum Commemoratione Ferię, *ex Rubr. III. Missal. n.* 4. & merito quidem, cum nulla sit Missa Ferię propria, sed tantum repetatur Missa Dominicę. Si autem alicubi occurrat Festum novem Lectionum in Vigilia intra Adventum, tunc in Missa de Festo secunda Oratio erit de Adventu, tertia de Vigilia, quamvis alioquin Missa Vigilię preferatur Missę Adventus, dignior enim est Oratio Feriæ Adventus, quę dicta est in Officio. In fine autem Missæ Festi prędicti non legitur Evangelium Vigilię *ex Gavanto*, quia nec in Officio legitur, neque in Missa Quatuor temporum legitur de Vigilia, quę occurrit in ea. *Guyetus* tamen *lib.* 4. *cap.*6. *quęst.*4. legendum esse sustinet, quia quamvis ratio a *Gavanto* allata quoad Ferias Quadragesimę, & Quatuor temporum valere possit; haud tamen idem est in casu proposito Festi occurrentis: Nam ideo in Festo prædicto non legitur Homilia Vigilię, quia de ea non fit Commemoratio ad Laudes: quę si fieret, haud dubie legeretur Homilia ad Matutinum, cum nihil impediat: unde per accidens est, quod non legitur. Deinde in Feriis Quadragesimæ, &

Qua-

Quatuor temporum non recitatur Evangelium Vigilię occurrentis in fine Missę, quia tunc duę Missę Conventuales dici non prescribuntur (in quo tantum casu legitur Evangelium Vigiliæ in fine Missæ privatæ) sed in nostra hypotesi non impedit tempus Adventus, quin dicantur duę Missæ in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, una de Festo, alia de Vigilia, ut prescribit Rubrica III. Missalis *De Feria, & & Vigilia n.* 1. quæ hęc habet: *In Feriis tamen Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamsi Duplex, vel Semiduplex Festum occurrat .... cantantur duæ Missę, una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam*. Ex quibus infertur, quod etiam in Missis privatis dici debeat Evangelium Vigilię in fine, par siquidem est utriusque ratio. Atque huic *Guyeti* sententię consonat etiam praxis Sacrosanctę Basilicæ Lateranensis.

• Notandum item quod occurrente Vigilia in Quadragesima, aut Quatuor temporibus dicitur Missa de Feria cum Commemoratione Vigiliæ: Ferię enim Quadragesimæ, & Quatuor temporum habent Missam propriam: neque Populus eget monitione ad jejunium, quod significatur per Missam propriam Quadragesimæ, & Quatuor temporum. Quod si occurrat in Feriis prędictis etiam Festum novem Lectionum, Missa dicitur de Festo cum Commemoratione Ferię, & Vigilię: & in Cathedralibus, & Collegiatis eo casu cantantur duæ Missę, de Festo post Tertiam, & de Feria cum Commemoratione Vigilię post Nonam. Et hic advertendum est, quod ex Decr. S.R.C. 22. *Jan.* 1701. non licet post Primam

celebrare Missam prędictarum Feriarum ; sed servandę sunt Rubricæ.

Notandum tertio, quod occurrente Vigilia in prędictis Feriis majoribus cum aliquo Festo, fit quidem de ea Commemoratio in Missa, quamvis in Laudibus facta non sit, quia cum Vigilia habeat Orationem propriam, & non confundatur cum Oratione Ferię, hinc nulla est ratio omittendi ejusdem Commemorationem in Missa, quę in sola Oratione consistit: at in Laudibus Commemoratio involvit etiam Antiphonam Ferię, quæ est designata pro Cantico *Benedictus*, & Versus, qui post Hymnum dicuntur, quę deberent repeti, si facienda esset Commemoratio Vigilię, cum semper in tali Commemoratione desumantur versus, & Antiphona ex Feria tunc currente.

Vigilia occurrens infra aliquam Octavam: Vide *Octava*.

Vigilia Ascensionis non habet jejunium. Si in ea occurrat Festum primę Classis v. gr. Titularis Ecclesiæ, vel Patroni principalis loci, tunc nec in Officio, nec in Missa fit aliquid de hac Vigilia, adeoque, ut infert *Bissus lit. V. n.* 54. cantari tunc debet solum Missa de Festo Patroni post Tertiam, & alia de Rogationibus post Nonam, omissa alia de Vigilia, de qua etiam in Missis privatis *ex Bauldry part.* 4. *cap.* 13. *n.* 1. & *Halden part.* 1. *tit.* 27. *pag.* 154. nulla fit Commemoratio, uti neque de Festo Simplici, si quod occurrat in dicto Festo primæ Classis. Si autem in hac Vigilia occurrat Festum novem Lectionum (seu Duplex, seu Semiduplex) aut alicubi dies Octava alicujus Festi, vel dies infra Octavam, tunc

tunc Officium fit de eo cum nona Lectione de Homilia Vigilię, ejusque Commemoratione ad Laudes. Missę quoque privatę si hodie occurrat Festum novem Lectionum, aut dies Octava alicujus Festi, dicuntur de Festo, aut de die Octava cum Commemoratione primo Vigilię, deinde Festi Simplicis, quod ut notat *Gavantus* precedit Feriam III. & IV. Rogationum, (si quod occurrat) ac demum etiam Rogationum, quae in Officio nullam habent Commemorationem, sed tantum in Missa diei, iu qua *Gloria*, & Prefatio Paschalis (nisi propriam habeat Festum illud occurrens) ac ultimum Evangelium de Vigilia. In Ecclesiis vero Cathedralibus, & Collegiatis si occurrat Festum novem Lectionum, vel dies Octava; dicuntur in hac Vigilia tres Missę. I. de Festo post Tertiam cum colore tali Festo convenienti, II. de Vigilia post Sextam in paramentis coloris Albi. III. de Rogationibus post Nonam in paramentis violacei coloris, & in fine cujusque Missę dicitur Evangelium S. Joannis. Si autem in hac Vigilia occurrat dies aliqua infra Octavam, licet Officium fiat de die illa infra Octavam, Missa tamen dicitur de Vigilia cum Commemoratione Octavę, ut dictum est verb. *Octava*. Non exclusa tamen Missa Litaniarum, quę dicitur in paramentis violaceis in Statione, seu termino Processionis Rogationum. Si denique in hac Vigilia occurrat solum Festum aliquod Simplex, tunc de eo nihil aliud fit, nisi Commemoratio in Laudibus, & Missa.

Vigilia Epiphanię habet Officium Semiduplex, adeoque si occurrat in hac Vigilia Festum Semiduplex, transfertur post Octavam, si autem Festum

Du-

Duplex occurrat, fit de Vigilia Commemoratio tantum, cum nona Lectione de Homilia Vigiliç: quia Duplici Officio occurrenti eodem die cedit Semiduplex. *Gavantus sect. 6. cap. 7. n. 1.* In Patriarchalibus tamen Urbis [contra Gavantum] de S. Thelesphoro Papa, licet Duplex, non fit in Vigilia Epiphaniç, sed transfertur. De duplici verò translato, etiam primç Classis, non fit in hac Vigilia, quia habet Officium novem Lectionnm, cui etiam Dominica cedit.

Vigilia autem hæc est ita privilegiata, ut si in illa occurrat alicubi Festum etiam primç Classis, de ea debet fieri Commemoratio ad laudes, & Missam cum ultimo Evangelio de eadem Vigilia. Occurrente autem Festo duplici in hac Vigilia in Cathedralibus, & Collegiatis cantari non deberet, nisi unica Missa de Festo ob rationem allatam *a Francolino*, scilicet, *duas Missas non esse cantandas post unam Horam*, in casu enim nostro tàm Missa de Festo, quam illa de Vigilia cantandæ essent post Tertiam: Guyetus tamen *lib. 4. cap. 2. qu. 5.* Rubricç de Vigiliis conformius fieri censent, si occurrente Festo in hac Vigilia duç Missæ cantentur. Quod si incommodum videatur duas Missas nulla mediante Hora cantare, illa de Vigilia cantari posset post Primam. Missç Votivç, & Defunctorum prohibentur in hac Vigilia ex decr. S. R. C. verb. *Missa Votiva* citato.

Vigilia Nativitatis Domini Officium habet partim Feriale ad Nocturnum, est enim Vigilia cum jejunio: partim autem Festivum Duplex in Laudibus, ut Officium Primç fit solemne, in quo

est

est annuncianda Nativitas Salvatoris cum Solemni Lectione Martyrologii.

Vigilia hęc si venerit in Sabbato, tunc in Nocturno vice Psalmi *Jubilate*, dicitur Psalmus *Bonum est*, nè ille bis dicatur ad Matutinum, & Laudes, & neque hic omittitur in Officio.

* Antiphonæ ad Laudes: *Judea*, & *Jerusalem &c.* habentur apud *Rupert. lib. 3. cap. 12.*

* Si autem venerit in Dominica quarta Adventus, Officium fit ut præscribit Rubrica Breviarii proprio loco: Antiphonę autem ad laudes Dominicæ quartę dicuntur in Sabbato precedenti, adeoque eo anno omittuntur Antihponæ illę ad Laudes, quæ occurrunt in die S. Thomæ. Quarta autem Antiphona de Laudibus dictæ Dominicę, quæ in prędicto casu omittitur in Sabbato, (ejus enim loco dicitur Antiphona *Expectetur*) resumitur quarto loco in laudibus Vigilię Nativitatis, ne Officium hujus Dominicę ullo modo pereat. Missa item dicitur de Vigilia, & quia non jejunatur, dicitur post Tertiam, facta aspersione Aquæ benedictę: in ea autem fit Commemoratio Dominicæ quartæ, dicitur *Credo* ratione Dominicę, non autem *Gloria in excelsis*. Post Graduale dicitur *Alleluja Alleluja* cum ℣ seq. sed non dicitur tertia Oratio: dicitur Præfatio de SS. Trinitate, & in fine *Benedicamus Domino*, ac Evangelium S. Ioannis; non vero de Dominica occurrente quia lectum jam fuit Sabbato præcedente, ut ait Gavantus, nec hodie fuit lectum ad Matutinum, ut addit *Bauldry*.

Vi-

Vigilia Pentecostes jejunium habet ex consuetudine, Fontis Benedictionem, & Solemne Baptismum ut in Sabbato Sancto: cum hac Ritus diversitate; quod in hoc Sabbato Pentecostes ad instructionem Cathecumenorum sex tantum leguntur Lectiones, non dicitur *Flectamus genua*, quia sumus tempore Paschali, color albus usque ad Nonam, violaceus usque ad Missam, rubeus deinceps adhibetur, qui & in privatis Missis hujus diei, quoad vestes Celebrantium, licet celebrent ante Nonam. Introitus pro Missis privatis additus fuit a Pio V. In Missa hujus Vigilię non fit Commemoratio Simplicis occurrentis, licet facta sit in Officio, in quo tamen nulla fieri debet Commemoratio de Cruce, sicut nec in Feria VI. præcedente.

Vigilia infra aliquam Octavam occurrente, si petatur Missa votiva illius Sancti, de quo celebratur Octava, dici debet sine *Gloria in excelsis*, & sine *Credo* more votivo; Missa enim propria illius diei est Missa Vigilię, licet Officium recitatum sit de Octava.

* Occurrente Vigilia S. Mathiæ Apostoli in Feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ, omnino observandum est jejunium, quod non potest anticipari ratione carnis privii. *S. R. C.* 23. *Jan.* 1699. nisi ex Indulto Sedis Apostolicę, ut sponte disposuit Benedictus XIV. die 30. Jan. 1751. in Const. quę incipit. *Prodiit jamdudum*.

Finis Secundę Partis.

Ap-

I Verb. Cadaver in Prima Parte *pag*. 34. addendum, quod si Cadaver sit Sacerdotis defuncti, cum in eo casu *ex decr. S. R. C* 3. *sept*. 1746. Subdiaconus cum Cruce sistere se debeat ad caput Defuncti, inter Feretrum, & Altare; Celebrans tunc sistet ubi stare solet Subdiaconus quando Cadaver non est Sacerdotis, sed laici, in medio nempe, Feretrum inter, & Ecclesiæ Januam. Et notandum, quod si in Altari adsit SS. Sacramentum, Subdiaconus, ne SS. Sacramento terga directè vertat, se retrahet aliquantum versus cornu Epistolę, ubi pro laicis sistit Celebrans.

II. Verb. *Calix* in Prima Parte *pag*. 45. addendum, quod postquam Celebrans digitos indices, & pollices Vino, & Aqua purificavit supra Calicem in cornu Epistolæ; Calicem ipsum deponere debet prope Corporale. (non antem super illud, ne guttis è digitis fortè decidentibus commaculetur) & stans adhuc in eodem Cornu Epistolæ, abstergit digitos purificatorio, & deinde, & non prius, accedit ad medium Altaris, ut docet *Bauldry*, & *Bissus lit. D. n.* 146. § 5. Cum enim ad medium Altaris junctis semper manibus procedere debeat, non ergo debet junctarum manuum humidis, & fluentibus digitis, multoque minus dum eos purificatorio abstergit ad medium accedere, sed iis diligenter abstersis, ut diximus, in cornu Epistolę, deponit purificatorium extra Corporale prope Calicem, & accedens ad medium Altaris junctis manibus, facit capite inclinato profundam Cruci reverentiam, qua facta, manu sinistra accipit purificatorium, dextera vero Calicem per no-

modum, & supponens purificatorium Calici sinistra manu, sumit ablutionem unico haustu. *Bissus lit. D. n* 159. §. 5. Calicem postea abstergit, & cooperit, ut pręscribit Rubrica.

III. Verb. *Missa Votiva* in Prima Parte *pag.* 244. addendum, quod Missę Votivę de Tempore dici non possunt. ex. gr. de Paschate, de Nativitate D. &c. Item si exigatur Missa Votiva de Nativitate, Assumptione Purificatione B. M. V. & hujusmodi, dicatur una ex quinque Missis Votivis B. M. pro diversitate temporum in fine Missalis accomodatis, cum intentione ad honorem Nativitatis, Assumptionis B. M. V. *Gavant. part.* 5. *tit:* 17. *n.* 8. Si tamen Missa B. M. V. celebretur infra Octavam ejusdem illis diebus, quibus fit Officium de aliquo Sancto Semiduplici, debet dici de Octava, sed more Votivo, sine *Gloria in exc.* & sine *Credo* dummodo non sit Sabbatum, tunc enim dicitur *Gloria* tantum. *S. R. C.* 2. *Dec.* 1684. Ex quo sumitur exemplum pro Missis aliorum Sanctorum in pari casu infra eorum Octavas. Deinde Missa propria de SS. Rosario, & septem Doloribus B. M. V. sine Sequentia celebrari potest tamquam Votiva, additis, vel mutatis iis, quę in iisdem Missis notata sunt. Demum si petatur Missa Votiva S. Michaelis Archangeli, poterit dici Missa, servatis servandis, ut in ejus Dedicatione 29. Septembris, sic etiam de Angelis Custodibus, de Archangelis Gabriele, & Raphaele potest dici pro Missa Votiva ea, quę in Festis dictorum Angelorum, & Archangelorum habetur in Missali a S. Rom. Ecclesia approbata.